hoc indaginem aliquam mereri posset, quare nulli recognoverint sigillum Imperatoris, eique testimonio fuerint. Imperatores enim & Reges ea omnia, quorum auctoritas firma & inviolata subsistere debuit, testimonio Ducum, Comitum & aliorum Dominorum tempore publicationis sibi præsentium confirmarunt, & per eos subscribi jusserunt. LEHMANNUS *in Chron. Spirens. lib. 4. c. 2. f. 342.* Imo in ipsis Comitiis publice privilegia recitata sunt, modo ipsis auctoritas quædam subesse debuit. *Idem* LEHMAN. *in Chron. Spirens. lib. 4. cap. 22. fol. 360.* Præter hoc extant & alia privilegia eodem fere tempore ab Imperatore Wilhelmo aliis collata, quibus decem & plures testes appositi sunt. Quare certe non immerito aliquis mirari queat, qui factum sit, quod Imperator paucis saltem testibus inferendis ex præscripto Imperii receptæ consuetudini non satisfecerit. Imo, quid si omnia hæc absolute suis constent partibus, nec ullam mereantur reprehensionem: notandum tamen, cum testibus Privilegii Henrici V. succumbentibus auctoritas privilegii simul concidat Wilhelmi Imperatoris ratificationem nullius esse ponderis. Nam confirmatio ejus, quod per se nullum est, nihil operatur, etiamsi fiat ab eo, qui dare potest, docentibus magni nominis Jureconsultis. Imo talis confirmatio per se ipso jure nulla est, cum id, quod initio vitiosum est, tractu temporis non possit convalescere, ut habet regula juris. Tandem inducitur WENCESLAUS, qui post annos 144. anno videlicet salutis 1396. superiora omnia suo etiam calculo probare & Cæsarea ratificatione communire voluerit. De hoc vero Imperatore literis proditum est, quod res Imperii satis negligenter gesserit & propter supinam ignaviam alii Principes ipsi Magistratum abrogaverint. Imo & hoc affirmant scriptores, quod facile totum Imperium venditurus fuisset, modo ipsi emptor contigisset. Hac ratione ita male perrexit agere, ut etiam vacuas chartas appenso sigillo lucri causa consueverit vendere, emptoribus deinde ad placitum quæ vellent, inscribentibus: Quemadmodum hæc ipsa & multa graviora tenori sententiæ depositionis inserta reperiet lector apud GOLDAST. *d. loco p. 379. & seq.* & apud *eundem in libr. Reichssatzung p. 158.* Quo ipso res eo tandem deducta fuit, quod ab Electoribus & Statibus Imperii concordi voto omnia Wenceslai rescripta & privilegia cassata & plane rejecta fuerint, confirmante hoc postea Romanorum Rege Ruperto: WENCESLAUS HAGECIUS *in Chronicis Bohemicis* MYNSING. *centur. cons. decad. 2. resp. 19.* LEHMANN. *in Chronicis Spirens. lib. 7. c. 59. fol. 825.* Testis constituitur *unus Patriarcha* videlicet ANTIOCHENUS *Cancellarius*, qui ad mandatum *Dn. Regis* tantum viderit. Verum quis dubitare posset, jocone an serio hæc attexantur. Annon enim Imperator habuit Cancellarium, qui non solum literas videre, recognoscere & sua manu attestari, verum eas simul legere, intelligere & dijudicare potuit, quod *homini Græco* fuit denegatum. Quam dolenda tum fuit gubernatio, quando summa rerum in Imperio ad Patriarcham Antiochenum devoluta fuit. Sed manum de tabula secundum adagium. Paucula hæc *ad mandatum Generosissimi Comitis* OLDENBURGICI (cui omne debeo obsequium) non ulla calumniandi libidine correptus, sed quidem solius veritatis indagandæ ergo in chartam conjeci. Interea *Bremensi Reipublicæ* ex animo salutaria quæque precor & rerum tranquillitatem ac patronum privilegiorum rogatum volo, ut quæ in sinistram suspicionem veniunt, modeste & absque stomacho ex animo velit dimovere. Imo simul has meas notationes doctioribus ulterius examinandas & dijudicandas relinquo.

Wenceslai Imperatoris 1396.

XL.

EXSEQVIÆ RVLANDI BREMENSIS, HOC EST: DE *CAROLINO*, *HENRICIANO* ALIISQVE *BREMENSIVM PRIVILEGIIS* LIBELLVS HISTORICO JVRIDICVS, IN SECTIONES LXVIII. DISPERTITVS. PRÆMISSA SVNT TAM TENOR PRIVILEGII *CAROLINI* EX CHRONICO BREMENSI, QVAM PRÆTENSA DIPLOMATA *HENRICI V. WILHELMI* ET *WENCESLAI* IMPERATORVM ROMANO - GERMANICORVM, EADEMQVE IN CALCE NOTIS ILLVSTRATA AC CLARIORI LVCI EXPOSITA. OPVS E DIVERSORVM JCTORVM ET HISTORICORVM SCRIPTIS COLLECTVM, EMENDATVM PASSIM ET ADAVCTVM CVRA *JOANNIS JVSTI WINCKELMANNI* JCTI CONSILIARII DVCALIS BRVNSVICO - LVNEBVRGICI ET HASSIACI.

EX AVTOGRAPHO AVCTORIS.

SERIES SECTIONUM sive CAPITUM.

1. Duo genera privilegiorum Bremensium.
2. Quotidianum est falsa diplomata confingere.
3. Non omnia diplomata ac institutra, quæ Carolo M. tribuuntur, recipienda.
4. Falsitas diplomatum unde colligatur?
5. Ex diversitate stili falsitas quoque instrumenti colligitur.
6. Caroli M. privilegia nullibi nisi in ore vulgi exstant.
7. Caroli M. tempore nullæ in Saxonia urbes fuerunt.
8. Sub Henrico Aucupe primum urbes in Saxonia condi cœperunt.
9. Brema urbs Caroli M. tempore in rerum natura non fuit.
10. Bremæ in annalibus Francicis Caroli M. nulla mentio occurrit.
11. Refutantur argumenta Dilichii pro antiquitate urbis Bremensis.
12. Quando urbs Bremensis cœperit.
13. Caroli M. tempore servi ac mancipia in villis habitabant, civium conditione ignota.

14. Pri-

Johann Justus
Winzelmann
Giessensis Hassus. Sereniss:
Hass: Landgr: ut et Illustriss:
Com: in Oldenburg Consilia=
rius et Historiographus.

2037

14. F
in
15. I
p
16. C
lu
17. I
op
18. A
dim
19. R
20. V
ori
21. W
22. V
qua
23. Ra
24. In
25. Ju
26. Pe
desig
27. Pe
Weis
28. Ref
land
29. N
in G
30. A
dict
31. Ac
pos
tinu
32. Ci
succ
33. R
pri
34. Fl
dom
35. Con
36. Ad
insu
37. Vi
lem
quo
38. An
ctio
39. Fab
expe
40. Bre
Histo
41. Sub
in Pal
42. Con
merit
43. Co
ciani
44. Con
petit
45. Ex
alteru
46. Qu
mata
47. Qu
mina
nug

14. Privilegia veterum Impp. ad libertatem & immunitatem tantum pertinent.
15. Item ad mercaturam; ſed ut Henrici Aucupis Imperium non excedant.
16. Civitates olim poteſtatis incapaces cingulum militare non habuerunt.
17. De ſtatuis Rulandinis contrariæ ſcriptorum opiniones.
18. Argumenta, quod à Carolo M. ſtatuæ Rulandinæ profectæ non ſint.
19. Rulandi res geſtæ multis fabulis involutæ.
20. Vera coloſſorum Rulandinorum cauſſa & origo.
21. Weichbildi ſtatuæ, quare Rulandi dictæ ſint?
22. Vera Weichbildi & Rulandi ſignificatio & quando orta?
23. Ratio, quare ſtatua in loco judicii olim poſita?
24. Inſignia, quare in judicio ſuſpenſa fuerint?
25. Juris Vemici notatio & differentia.
26. Per ſtatuam Rulandi jus fori & mercatus deſignatur.
27. Per ſtatuam Rulandi jus municipale ſive Weichbildicum deſignatur.
28. Refutatio aliorum Jurium, quæ coloſſis Rulandinis vulgo tribuuntur.
29. Nomina poteſtatum à temporibus Caroli M. in Germania uſitata.
30. Advocatiæ epiſcopatuum ſæcularem jurisdictionem continebant.
31. Advocatia urbis Bremenſis ad Archiepiſcopos Bremenſes & Duces Saxoniæ olim pertinuit.
32. Civitatum Saxonicarum potentia quomodo ſucceſſive creverit?
33. Regalia fluminis Viſurgis ad Cæſarem & principes pertinent.
34. Fluminum proprietas ad utriusque ripæ dominos ſpectat.
35. Comitatus Stadenſis & Lesmonæ termini.
36. Ad comitatum Lesmonæ Brema cum aliis inſulis pertinuit.
37. Viſurgis fluvius verſus ripam occidentalem ad comitatum Oldenburgicum ab antiquo pertinuit.
38. An civitas Bremenſis extra moenia jurisdictionem criminalem & regalia habuerit?
39. Fabula chronici Bremenſis de Henrici V. expeditione in Palæſtinam.
40. Bremenſium expeditio à nullo fide digno Hiſtorico attingitur.
41. Sub Gothfrido Bullionio navalis expeditio in Palæſtinam inſtituta non eſt.
42. Comparatio meritorum Bremenſium cum meritis vicinorum.
43. Contradictio privilegii Carolini & Henriciani.
44. Confirmatio non ſucceſſive, ſed per ſaltum, petita ſuſpecta eſt.
45. Ex pluribus diplomatis connexis, uno falſo, alterum quoque falſum præſumitur.
46. Quo tempore & occaſione falſa hæc diplomata confecta ſint?
47. Quare Henrici V. & ceterorum Impp. nomina potiſſimum electa & bullatis Bremenſium nugis inſerta ſint?
48. Diſpoſitio & examen prætenſi diplomatis Henricani in ſeptem capita.
49. Primum caput, continens prooemium ac merita civium Bremenſium.
50. Secundum cap. privilegii Henricani confirmationem anteriorum privilegiorum.
51. Tertium. Privilegium & exemtionem a ſede libera.
52. Quartum. Defenſionem fluminis Viſurgis contra piratas.
53. Quintum. Veſtimentorum diſtinctionem.
54. Sextum. Coloſſi Rulandi poſitionem.
55. Ultimum continens epilogum & teſtes.
56. De Annone Colonienſi 35. annis ante defuncto.
57. De Ruthardo Moguntinenſi biennio ante defuncto.
58. De Friderico Halberſtadenſi ad minimum quadriennio ante vel defuncto vel remoto.
59. De Udone Brandenburgenſi quinquennio ante defuncto.
60. De Magno Duce Saxoniæ quinquennio ante defuncto.
61. De Guelpho Bavaro ambigui nominis.
62. Recapitulatio de ſenario teſtium numero.
63. Henricus quintus tempore dati Diplomatis Moguntia abſens.
64. De ſubſcriptione diplomatis omiſſa.
65. Examen prætenſæ confirmationis Guilhelmi Cæſaris.
66. Quare prætenſum hoc diploma Guilhelmo Cæſari adſcriptum.
67. De Wenceslai confirmatione ſuſpecta & invalida.
68. De confirmatione a Carolo V. ſub- & obreptitie obtenta.

PRIVILEGIA BREMENSIA

I. *Tenor prætenſi privilegii Carolini ex Chronico Bremenſi MSCt. quod refert* ERPOLD LINDENBROG *in Chronico Caroli M. fol. 156. & ſeqq.*

Sanctus Willehadus *erlanget der Stadt* Bremen *von Köning* Carolo M. *Freyheit. Da nun* S. Willehadus *ſich der Kirchen zu* Bremen *umb Bitte willen König* Carols *unterwand, auf daß er den heiligen Chriſtlichen Glauben mögte mehren und erweitern, bat er ihm erſten um Freyheit der Stadt* Bremen. *Der König gewehrt ihm ſeine Bitte und gab der Stadt Freyheit durch einen Freyheits-Brief, den er* Willehadus *darauf nahm und die Stadt in guter Wahrung hat, und iſt Alters halber einmahl erneuert von vielen Herren. Es begrieff aber derſelbe Freyheits-Brief in ſich, daſs alle diejenigen, die zu* Bremen *zu Rath geben, mögen Gold und getheilte von Farben Kleyder tragen,* it. *daſs man die Bürger für keinen Frey-Stuhl mag laden, woferne ſie für ihren Herrn Rechts pflegen wollen, und daſs ſie die Weſer mit ihren Herren ſollen verthädigen und erhalten quit und frey von* Bremen *an bis in die Saltzene See: Auch wenn ein Biſchoff zu* Bremen *gekohren iſt, und ihn der Pabſt* inveſtirt *oder eingeſetzt hat, So iſt der Kayſer oder Königſche König des pflichtig, daß er mit ſeinen* Regalien *den Biſchoff und das Stifft vort freye und alſo empfahet denn die Stadt* *Privilegium Caroli M.*

die Freyheit von dem Bischoff wieder, und der Bischoff hat Gericht und Müntze in der Stadt. Desgleichen erwarb er auch von Carolo *die Freyheit, daß die Bürger zu* Bremen *Zollen-frey seyn zu allen Stiffts Schlössern und Zöllen. Zu dem erlangete er den* Roland *von ihme, der auf dem Marckte stehet zu einem Zeugniß der Kayserl. Freyheit, in dessen Schilde stehet geschrieben:*

Freyheit do ick juwe openbahren,
De Koning Carl und mannich Fürst für wahre
Disser Statt gegeven haet
Des danckt Gode is mein Raet.

Hæc in Chronicis Bremensibus.

II. *Sequuntur prætensa diplomata Henrici V. Guilhelmi & Wenceslai Impp.*

Wenceslai. Wenceslaus DEI gratia Romanorum Rex semper Augustus & Bohemiæ Rex. Notum facimus tenore præsentium universis; etsi cunctorum nobis fidelium prosperitates & commoda benigno favore respicimus & in prosperitatis augmento nostrorum fidelium ex innata nobis clementia delectamur: ad illos tamen specialis affectus prærogativam nostra tenet serenitas, qui præ Cæteris nostris fidelibus se in fidei constantia & indefessæ fidelitatis obsequio reddiderunt hactenus & reddunt quotidie promtiores. Sane nostræ Majestatis accedentes præsentiam honorabiles Proconsules & Consules ac cives Bremenses Nostri & Imperii sacri fideles dilecti, nobis humiliter supplicarunt, quatenus ipsis quoddam privilegium a D. memoriæ serenissimo quondam Principe & domino Domino Guilhelmo Romanor. Rege semper Augusto Prædecessore nostro ipsis & civitati Bremensi datum, traditum & concessum approbare, ratificare, innovare & de Regiæ nostræ benignitatis clementia confirmare gratiosius dignaremur. Cujus quidem privilegii tenor totalis est & sequitur per omnia in hæc verba: *Wilhelmi.* GUILHELMUS DEI gratia Rom. Rex & semper Augustus, universis sacri Imperii fidelibus præsentes literas inspecturis gratiam suam & omne bonum. Ne noverca memoriæ oblivio suis votis locum habeat humana providit ratio, temporalibus gestis quibuslibet solemniter celebratis, in testimonium sequacibus per certa subvenire remedia scripturarum. Noscat igitur tam præsens ætas, quam successura posteritas, quod pro parte dilectorum nostrorum fidelium Proconsulum, Consulum ac civium Bremensis civitatis, dilectus nobis Henricus Woltmann Proconsul ejusdem civitatis quoddam privilegium per felicis recordationis Henricum Imper. ipsis datum & concessum coram nobis produxit & exhibuit ac de verbo ad verbum legi fecit, cujus tenor sequitur in hæc verba: In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. *Henrici.* HENRICUS Divina favente clementia Roman. Imperator & semper Augustus. Imperatoriam Nostram Majestatem decet, ut ex officio nostræ à DEO solertiæ commisso ad augmentum sacri Imperii vigilem operam impendamus, ut præcipue super incrementis civitatum excellentiæ nostræ fidelium efficacibus studiis libenter intendamus. Eapropter ad omnium tam præsentium quam futurorum deducimus notitiam per præsentes, quod nos discretæ considerationis intuitu perpendentes honestatem ac officiosam devotionem civium civitatis Bremensis eorumque fidei digne cupientes respondere, propter eorum deificam & fidelem virilitatem, quam Romano Imperio & fidei christianæ utiliter obsequendo exhibuerunt, concedimus eis & civitati Bremensi confirmamus illa jura, quæ sanctæ recordationis Carolus Imp. ad instantiam petitionis S Willehadi primi Bremensis ecclesiæ antistitis ac cæteri prædecessores nostri Romani Imperatores eidem civitati Bremensi concesserunt; insuper damus & concedimus Proconsulibus, Consulibus & civibus dictæ civitatis Bremensis hanc gratiam & libertatem, ut si aliquem judicem secularem ipsos aut eorum aliquem monere aut citare contingat ad comparendum coram eo extra dioecesin Bremensem ad locum, qui sedes libera nuncupatur, quod ibi comparere non teneatur, si coram antistite velint stare juriin illa causa, pro qua citati fuerunt; it. damus illis plenam & liberam potestatem pacificandi, protegendi & defendendi, una cum eorum antistite stratam nostram Regiam scilicet Wiseram ex utraque parte littoris à civitate Bremensi prædicta usq; ad salsum mare, nec non mercatores cum suis navibus & mercimoniis civitatem prædictam adeuntes seu visitantes & ab ea declinantes: si vero antistitis eorum auxilium & adjutorium ad dictam stratam defendendam habere non potuerint, ex tunc per se facere poterunt justo judicio contra piratas & prædones procedendo. Ceterum propter obsequiorum promptitudinem multasque deificas virtutes, viriles actus, ac non modicos labores & expensas, quos & quas cives Bremenses per mare suis navibus & per terram fecerunt, in passagio ultra mare ad terram sanctam, quando civitas Hierosolymitana tempore præclaræ recordationis Henrici genitoris nostri ab illustribus Ducibus Gothefrido & Balduino capta fuerat, & obtenta, ubi non modicus populus armatus de dicta civitate & dioecesi Bremensi dicitur interfuisse, Proconsules & Consules ipsius civitatis Bremensis dignos facimus, hanc gratiam & libertatem eis dantes & concedentes, ut se ipsos, eorum vestimenta, & indumenta, auro & vario opere, ut militibus est concessum, possint & valeant adornare, & adornatum ferre. Et in signum hujusmodi libertatis & gratiæ licentiamus iisdem, quod in eorum civitate Bremensi possint signum & imaginem Rolandi ornare clypeo & armis nostris imperialibus. Hinc est attendendum, quoniam ex longa temporis antiquitate non solum consuetudines verum etiam jura plerumque soleant immutari; Imperiali cautione decernimus salva in omnibus Imperialis justitiæ dignitate, rata hæc omnia & inconvulsa semper haberi, &, sicut præsenti scripto evidenter expressa sunt, per omnia imposterum illibata conservari. Unde & præsentem paginam conscribi jussimus & Majestatis nostræ sigillo communiri statuentes & Imperiali autoritate sancientes, ut nullus Dux, nullus Marchio, nullus comes, nulla omnino persona, parva vel magna, secularis vel ecclesiastica huic nostræ confirmationi audeat

audeat contraire nec aliquo præsumtionis modo adponat eam aliquatenus attentare. Quod, qui fecerint, in ultionem temeritatis suæ centum libras auri puri componant, dimidium Cameræ Imperiali & reliquum civitati Bremensi. Hujus rei testes sunt Anno Archiepiscopus Coloniens. Ruthardus archiepisc. Moguntinens. Fridericus episcopus Halberstad. Udo Marchio in Brandenburg, Magnus Dux Saxoniæ, Welpo Dux Bavariæ, & alii quamplures. Datum & actum Moguntiæ 2. Idus Maji Indictione IV. Anno Domini millesimo centesimo undecimo. Lecto dicto privilegio & diligenter auscultato Henricus Woltmar Proconsul præfatus humiliter supplicavit, ipsum privilegium per nos confirmari & propter ipsius antiquitatem & fragilitatem innovari exemplari & transsumtum fieri de eodem. Unde, cum interest Principum orbis terræ, se cunctis eorum fidelibus ostendere gratiosos, sed eis præcipue manus extendere liberales, pro quibus sincera fides & grata servitia interpellant, ac ne supradictæ virtutes per decursum temporis oblivioni tradantur & antedicta gratia videatur minorari, sed potius augmentari; nos attendentes dilecti fidelis nostri Henrici Woltmans grata & accepta servitia, qui nobis in annis juvenilibus in Hollandia & alibi pluries præstitit, precibus suis duximus annuendum & omnia ac singula jura scripta supra, & alia jura, quæ à nostris Antecessoribus ipsis Proconsulibus, Consulibus & civibus civitatis Bremensis concessa sunt iisdem concedimus & confirmamus. Volumus etiam, quod dilecti fideles nostri Proconsules & Consules & cives dictæ civitatis Bremensis per totum districtum nostrum sub nostra & Romani Imperii protectione jugiter esse debeant & eadem gratia & libertate, ut præfatum pacifice & quiete gaudere, tenore præsentium districtius inhibentes, ne quis ipsos contra hujusmodi gratiam impedire audeat seu etiam molestare. Quod qui facere præsumserit, gravem celsitudinis nostræ offensam se noverit incursurum. Datum Antwerpiæ IV. Calend. Octobr. A. D. millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo. Nos igitur prædictorum Proconsulum, Consulum ac civium Bremensis civitatis, utpote rationabilibus atque justis petitionibus benignius inclinati, habito nihilominus respectu ad multiplicia atque grata fidelitatis obsequia, quibus ipsi felicis recordationis Romanis Impp. & Regibus prædecessoribus nostris studiose complacuerunt, nobis quotidie complacent, & complacere studebunt studiosius in futurum, non per errorem aut improvidi, sed animo deliberato sanoque nostrorum fidelium accedente consilio, ipsis præfatum privilegium & omnia in ipso contenta, prout de verbo ad verbum expressatum superius, approbavimus, ratificavimus, innovavimus & confirmavimus: Approbamus, ratificamus, innovamus & præsentis scripti patrocinio de Regiæ Romanæ potestatis plenitudine & de certa nostra scientia gratiosius confirmamus, decernentes & regio statuentes edicto, ipsum in omnibus suis punctis, clausulis, sententiis & articulis ex nunc in antea in perpetuis temporibus inviolabilis obtinere roboris firmitatem. Præsentium sub Regiæ nostræ Majestatis sigillo, testimonio literarum. Datum Pragæ, anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo sexto, die quarto Martii, Regnorum nostrorum anno Bohemiæ tricesimo tertio, Romani vero vicesimo.

Ad mandatum Domini Regis vidit
Patriarcha Antiochenus.
Cancellarius.

SECTIO I.

Duo genera privilegiorum Bremensium.

Duo sunt genera privilegiorum Bremensium, quorum unum ecclesiæ ac episcopatui sub lit. A, alterum urbi seu civitati sub lit. B. C. concessum dicitur, quæ, sicuti diversa sunt ac confundi non debent, utpote diversis personis concessa, ita nec ab eodem principio repeti possunt, cum non uno eodemque tempore coeperint, multo minus in eodem diplomate concessa fuerint. Neque enim dubitare debemus, quin ecclesia Bremensis urbe Brema multo sit antiquior, cum hanc episcopi Bremenses condiderint, sicuti pleraque in Germania (in Saxonia certe omnes) urbes episcopales ab institutione ecclesiarum ortum trahunt, eisque omnia sua incrementa debent; quamvis non ignoremus, aliorum alias esse hac de re opiniones, quas in Bremensis urbis origine nullo modo locum habere ex subsequentibus patebit. Et tamen non solum ecclesiæ institutio, sed & urbis Bremensis privilegia ad Imperatorem Carolum M. referuntur. De illa exstat diploma de A. C. 788. apud ADAM. BREMENS. *lib. 1. hist. eccles. 10.* ex quo id referunt ALBERT. ABBAS STADENS. *in chron. fol. 82.* ALB. CRANZ. *lib. 1. Metrop. 7. & 8. & lib. 2. Saxon. 14.* ERP. LINDEBR. *in chron. Caroli M.* p. 156. & seqq. A cujus tamen tenore diversum profert *Henric. Woltherus* in *chron. Bremens. MSCt.*, quod nunc suo loco relinquimus; quamvis & hoc quoque in multis ἐκφασιν patiatur. Cum privilegiis autem urbis vel civitatis Bremensis res hic nobis est: quorum licet in allegato diplomate Carolino Adami Bremensis nulla fiat mentio, tamen in chronicis Bremensibus MSCtis prioribus ita attexuntur, quasi ea ad petitionem S. Willehadi primi episcopi urbi Bremensi concesserit Carolus M., ea deinde in singulari diplomate Hinrico V. Imperatori tribuuntur, quæ successive Wilhelmus & Wenceslaus Impp. confirmarint. Hæc summa est omnium privilegiorum antiquorum quæ Bremenses se habere gloriantur. Nisi quod GVILH. DILICH. abreviator chronici Bremens. etiam *Frid. Barbarossæ* confirmationis meminit p. 73. Omnia autem illa falsa, adulterina ac suppositicia esse demonstrari potest, si ab antiquiori incipiendo singula diplomata ac privilegia percurrantur, temporisque & rerum circumstantiæ ex veris historiis ac statu illius seculi longe diverso pensitentur.

Privilegiorum Bremensium duo genera.

Privilegia Bremensia non uno tempore concessa.

Urbes episcopales Saxoniæ ab episcopis conditæ.

Series privilegior. Bremensium.

SECTIO II.

Quotidianum est falsa diplomata confingere.

Id priusquam aggrediamur, nemini novum aut mirum videri debet, si posthumum hunc Rulandi fœtum, quem privilegiorum horum quasi indicem & vindicem contendunt illi, spurium & suppositium dicamus, cum ab omni ævo hujusmodi

falsarii reperti fuerint, qui ad institutum suum obtinendum vera diplomata imitati nova confingere ac falsis sigillis ita ornare potuerint, ut non rude saltem vulgus, sed etiam prudentiores deceperint *C. quam gravi X. de crim. fals.* vide D. JO. GRYPHIANDR. *in tract. de Weichb. c. 9. fol. 5. & 6. c. 15.* & seqq. De græci Imp. legatis quamvis magnæ autoritatis scribit GÜNTHER. *in Ligur. lib. 5.*

Gentilibus usi
Fraudibus impressas falso sub nomine Regis
Mendaces chartas sibi confecere sigillo.

Quamvis vero ipsi quoque producentes nonnunquam decipiantur, dum falsas hujusmodi chartas in scriniis & archivis forte repertas ad prætensionem suam allegant; tamen, ex quo falsitatis admoniti & firmissimis rationibus edocti easdem in judicio producere & propugnare non desistunt, in eandem falsi poenam incidunt. *Tholosanus lib. 36. syntagm.* Hujus rei insignis & ad nostrum appositus casus tractatur *in C. inter dilectos 6. E. de fid. instr.* ubi Abbas de Scozula contra Archiepiscopum Mediolanensem privilegium aliquod ab Henrico Imperatore (fortasse II.) confirmatum producens per illud portum Scozulæ cum omni honore districtu ac jurisdictione petit, sed cum Procurator archiepiscopi illud ex multis indiciis falsum esse demonstraret, Innocentius III. Papa contra Abbatem de Scozula ejusque falsum Instrumentum pronunciat. Quia cum obscura sunt jura partium, consvevit contra eum, qui petitor est (& ex instrumento prætenso sibi jus aliquod deberi contendit) judicari. Nec dubitamus, quin Bremenses in judicio ad prætensa hæc diplomata provocantes similem sententiam ad barbam cum Abbate de Scozula sint reportaturi.

SECTIO III.

Non omnia Diplomata ac instituta, quæ Carolo M. tribuuntur, recipienda.

Non omnibus diplomatibus fides habenda.

Sed nec omnibus diplomatis, quæ Carolo M. aliisque antiquis Imperatoribus a scriptoribus vulgo tribuuntur, indistincte fides habenda, cum multa quoque ex iis falsa & confecta esse deprehendantur; neque sufficit, si forte in antiquis annalibus aut legendis reperiuntur, quia illi ipsi quoque scriptores decepti. Fit enim plerumque, ut alter alterius autoritatem sine inquisitione veri, ut vervecem gregarium oves, sequatur. Ita Carolinum a Friderico Barbarossa confirmatum privilegium apud GOLDAST. *Tom. 2. Constitut. fol. 6.* BESOLD. *Consil. Part. IV. cons. 194. fol. 314.* & seqq. est suspectum, licet PETR. à BEECK in *Aquisgran. cap. I. & passim* cum GOLDAST. *in ration.* id defendat. Quis sibi persvadebit, hanc civitatem ab initio a *Grano* Romano Principe fratre Neronis & Agrippæ ædificatam fuisse. Ibidem fit mentio *Cardinalium Romanorum* & *Marchionum* Germanicorum, quæ dignitates Caroli M. tempore nondum notæ fuerunt, teste GRYPHIANDRO *de Weichb. Sax. cap. 62. num. 10.* In dicto privilegio Carolus M. comites non semel præposuit omnibus Principibus ipsius regni tam Italiæ quam Saxoniæ, tam Bavariæ quam Alemanniæ & utriusque Franciæ tam Orientis quam Occidentis. Et *Estienne Pasquier* lib. 5. *des recherches de la Franc.* cap. 31. fol. 674. PETRARCH. *lib. I. epist. 3.* sententia, cur Aquisgranum Carolo M. præ aliis locis ita arriserit, videtur a *Warem. ab Erenb. lib. 1. medit. pro fœd. cap. 2. n. 159. p. 241.* Sensus, inquiens, repugnat naturalis, repugnat Caroli pietas, refragatur animus sincerus, refragatur consensus historicorum, & narratio ostendit fictam fabulam ad pietatem miraculosam alicujus sacerdotis prætendentis, magica arte Carolum inductum & postea miro modo ab hoc malo liberatum. vid. KNIPSCHILD *de civit. Imp. lib. 3. cap. 1. n. 6 fol. 702. 703.* adde GRYPHIANDR. *de Weichb. Sax. c. 35. n. 17.* CONRING. *de orig. Jur. Sax. c. 13. p. 37.* WINCKELMANN. *in notit. vet. Sax. lib. 1. c. 3. n. 29. p. 31.* Ita de privilegiis Frisior. diploma aliquod Carolo M. adscribitur, sed ita ineptum, ut testes inserti in Caroli IV. ætatem incidant; ut demonstrat CRANZ *lib. 2. Vand. 33. & lib. 11. Sax. 6.* nec id diffitetur UBBO EMMIUS *lib. 5. Dec. 1.* rerum Frisicar., licet ipsa privilegia Frisiis data propugnet. adde eundem de libert. Frisiæ & passim. Ita *glossator speculi Saxonici* passim ad privilegium Caroli M. datum Saxonibus in arce Sassenburga a. 810. provocat, *uti in art. 82. lib. 3. Landr. & in proœmio speculi Saxon.* Cum tamen certum sit, genuinum privilegium jam dudum intercidisse. Sed nec Ottonis M. bulla, quam Robell. in addit. ad dictum proœmium n. 2. allegat, suis mendis caret, quæ tot & tam varia sunt, ut sanari nullo modo possint, testib. PETR. HEIGIO *lib. 1. quæst. Sax. 8. n. 38.* COLERO *in orat. de jure Saxon.* De legibus quoque, quas Carolus M. Saxonibus dedisse passim deprædicatur, notum est judicium ALB. CRANZ. *l. 2. Sax. 21.* cui adstipulatur FABRIC. *lib. 1. Orig. Saxon.* quem allegat CARDIN. THUSCUS *in practic. conclus. Jur. Tom. 7. lit. S. concl. 49.* Fere autem vulgus scriptorum in eo errore hæret, quasi omnia antiqua instituta a Carolo M. orta sint, quæ successive ab Ottonibus, Henricis, Fridericis aliisque Impp. sunt inventa, quædam etiam Caroli IV. ætatem attingunt. Ita sunt, qui electorum Principum institutionem Carolo M. tribuant, ut JORDAN. SPANGENB. *in Chron. Sax. c. 86.* & alii, quos gravissime refutat *Schardius de Orig. elector. c. 1.* cum ante Ottonis III. tempora in probatis autoribus dignitatis hujus nulla mentio occurrat. HEIG. *part. I. quæst. Saxon.* Eodem modo parlamentorum institutionem in Gallia Carolo M. adscribit GANGUINUS *lib. 4.* quod tamen longe aliter se habet, HOTOMANN. *in Francogallia,* GRYPHIAND. *de Weichb. Sax. c. 36. n. 8.* & seqq. Quod argumentum ut pluribus confirmetur, hujus loci & instituti non est. Sufficiat adsertionem nostram uno & altero exemplo adstruxisse.

Frisonum privilegia falsa.

Caroli M. privilegium Aquisgranense est suspectum.

Aquisgranum non a GRANO *conditum.*

Cardinalium & Marchionum dignitas Caroli M tempore nondum nota.

Ordo inter status non observatus.

Ottonis M. diploma falsum.

Carolus M. an leges Saxonibus dederit?

Electorum institutio Carolo M. falso adscripta.

Parlamentorum institutio.

SECTIO IV.

Falsitas diplomatum unde colligatur?

Cum vero falsitas commissa difficilis sit probationis, obtinuit inter JCtos argumentis & conjuncturis illam probari posse, CRAVETT. *cons. 134.* & quidem, quomodo ex scriptura & sigillo falsitas litterarum eruatur, docuit *Gloss. in c. in memoriam distinct. 19.* Licet & *sibi Canonistæ C. de crimine falsi.* Nos majus opus moventes ad illa nos argumenta convertimus, quæ Critici ad auto-

Falsitas quomodo ex Scriptura colligatur.

Verus autoris foetus unde cognoscatur?

autoris alicujus vera & genuina ſcripta explorandа requirunt. Quorum cum multa cumulet FRIDERICUS TILEMANNI in diſcurſu philologico, tum ex illis in hiſce bullatis nugis examinandis tribus potiſſimum utemur, earumque falſitatem ex temporis diſſonantia, ſtili diverſitate & rerum in eis contentarum falſitate & anticipatione demonſtrabimus. Primum argumentum fortiſſimum eſt, utpote ex *chronologica certitudine*, quæ falli non poteſt, petitum; neque enim aliam ob cauſam tam ſollicite cautum in jure, ut annus & dies inſtrumentis apponeretur *in l. 1. §. 2. ff. de edend. l. 21. C. de text. n. 47. & paſſim.* Nempe ut ex eorum congruentia de facti veritate judicetur plenius, *Gloſſ. in l. generali C. de tabul. gloſſ. ad art. 82. lib. 3. Land-Recht.* Unde commendatur Auguſtus Cæſar, quod non dierum ſaltem, ſed & horarum momenta epiſtolis adſcribere ſolitus ſit: *Suet. in Aug. c. 50.* & contra reprobantur inſtrumenta terminis hiſce deſtituta, ſicuti Lotharius Imp. ſcripta abſque menſe & die menſis nullum habere voluit vigorem, *in LL. Longobard. lib. 3. tit. 38.* Quanto magis ergo rejicientur inſtrumenta cum tempore non congruentia, ſed pugnantia & contradictoria *argto. l. 13. §. 5. ff. de rebus dubiis.* Ita enim diverſitas temporis teſtibus quoque fidem omnem derogat, quando tempus eſt de ſubſtantia actus. *Gloſſ. in C. ob carmen §. fin. ff. de teſtib.* Neque poteſt validius falſitatis argumentum proferri, quam ſi quis probet, eo ipſo tempore, quo id feciſſe arguitur, ſe abſentem fuiſſe *l. optimam C. de contr. ſtip.* cujus rei exemplum recitat *Livius lib. III Dec. I.* de M. Volſcio ex circumſtantia temporis & loci falſi criminis convicto; multis enim emanabat indiciis, inquit hiſtoricus, neque fratrem Volſcii, ex quo ſemel æger fuerat, unquam non modo in publico viſum, ſed ne aſſurrexiſſe quidem ex morbo. Nec his temporibus, in quæ teſtis crimen conjecerat, Cæſonem Romæ viſum affirmantibus, qui una meruerant ſecum, eum tum frequentemque ad ſigna ſine ullo commeatu fuiſſe. Jam autem non vivis teſtibus, de quibus v. *Covarr. 2. Reſol. 13. n. 11.* MENOCH. *lib. 3. de præſumt. pſ. 142. & de arbitr. judic. quæſt. caſ. 105. n. 33.* ſed mortuis, qui fallere nec volunt nec poſſunt, probatis ſcilicet hiſtoricis, doceri liquide poteſt, illo die, quo prætenſum hoc diploma datum, fingitur, Henricum V. Cæſarem Moguntiæ non fuiſſe, ſed adhuc in Italia commoratum. Neque teſtes, qui ſubſcripſiſſe jactantur, præter unum, amplius in vivis fuiſſe, ſed defunctos; prout in notis latiſſime probabitur. Ergo neceſſario hinc ſequitur, prætenſum diploma Henricanum falſum & ſuppoſititium eſſe.

Chronologica certitudo falli non poteſt.

Auguſti Cæſaris ſolertia.

Diverſitas temporis ſcripturæ fidem derogat.

Abſentia ſcribentis.

Henricus V. tempore dati Diplomatis in Italia abſens.

SECTIO V.

Ex diverſitate ſtili, falſitas quoque inſtrumenti colligitur.

Huic adſtipulatur alterum argumentum ex ſtili diverſitate & tenuitate, quem quilibet emunctæ naris, non in aula vel in curia, ſed in ſchola vel clauſtro natum videt, non ab exercitato Cancellario, ſed ab imperito ſcholaſtico conceptum. Exſtant conſtitutiones aliquot Henrici V. in tomis MELCH. GOLDASTI *ab Heiminsfeld*, quibus plura alia diplomata, quæ ad manum habemus, addere poſſumus. Quorum ſtilus ab hoc longe diſtat. Lege & conſidera conventionem Henrici V. & Paſchalis Papæ eod. an. IIII. Romæ initam ac fortaſſe ab Adalberto Cancellario & Archiepiſcopo Moguntino conceptam, apud DODECHIN. *Abbatem in append. ad Marian. Scotum.* item diploma civitati Spirenſi hoc eodem anno conceſſum apud LEHMANN. *lib. 4. Chronic. Spirenſ. 22.* & fateberis, ſpurium hoc diploma Bremenſe non ab eadem manu vel curia profectum, præſertim propter barbariſmos, qui in eo intercurrunt plurimi. Quamvis enim incongrua latinitas vel error grammaticalis non vitiet inſtrumenta *L. Imperator. 8. ff. de Stat. hominum*; vitiat tamen reſcripta Principum eaque maxime ſuſpecta reddit *C. ad audientiam II. & ibi Panorm. & Canoniſt. X. de fide inſtrument.* ubi Pontifex propterea litteris Apoſtolicis fidem adhiberi vetat, quod manifeſtum in conſtructione peccatum contineant, & rationem reddit ibidem gloſſ., quod per multas manus tranſeant & deliberato fiant MATTH. WESEMB. *conſ. 12. n. 58. Vol. 1.* neque heri facile poſſit, ut fallat latinitas tot oculis ſpectata, tot inſinuata ſenſibus, tot inſuper illuſtrata manibus, ut habent verba in l. 8. C. *qui teſt. facer. poſſ.* Alioquin quid magis autoritatem Romani Principis deprimit, quam ſi is Romane loqui neſciat, ſed barbarizet cum illo, *in C. retulerunt diſt. 4. de conſecrat.* ut non immerito ex hac cauſa privilegium Carolinum Saxonum impugnet CRANTZ. *lib. 2. Saxon. 21.* committunt barbariſmos, inquit, quos plurimos fecit fabulator, ut vel ea re maxime prodat, non eſſe narrationem Imperatoris, cujus ſcriniarii non ita titubaſſent. Idem in noſtro quoque diplomate valeat, maxime concurrentibus aliis indiciis, de quibus notus eſt verſiculus: *Et quæ non proſunt ſingula, juncta juvant.* Tertium argumentum latiſſime patet, quando in Henricano diplomate narrantur res non modo falſæ, ſed etiam a ſtatu illius ævi prorſus alienæ & adhuc ignotæ; quippe quæ diu poſt demum emerſerunt. Ubi non immerito quærimus, unde Imperator futurarum rerum notitiam acceperit, cum alias de rebus futuris & contingentibus non ſit certa & determinata veritas, ſi non autorem ad ſui temporis ſtatum reſpexiſſe conceſſeris? quod argumentum cum latiſſime pateat ac per univerſum diploma Henricanum diffuſum ſit, operæ pretium erit, id per partes deducere & ſingularum rerum falſitatem ex circumſtantiis eius ſeculi oſtendere. Et quia tenor privilegii Carolini cum Henricano fere congruit, una fidelia, quod dicitur, duos parietes dealbabimus.

Stili diverſitas arguit falſum.

Henrici V.

conſtitutiones aliquot exſtant.

Conventio Henrici V. & Paſchalis Papæ.

Error Grammatices vitiat reſcripta.

Carolus M. elegantiæ ſtudioſus.

SECTIO VI.

Caroli M. privilegia nullibi, niſi in ore vulgi exſtant.

Antiquiſſimum omnium Caroli M. privilegium civitati Bremenſi ad inſtantiam S. Willehadi prætenſe conceſſum quod attinet, ejus falſitas tam eſt in aperto, ac imber, cum pluit; ut neſciam, an operoſa demonſtratione indigeat. Primo enim tantum abeſt, ut ipſum authenticum Caroli M. ſigno munitum exſtet, ut ne quidem ejus exemplar

Privilegii Carolini falſitas apertiſſima.

Privilegii Carolini neque

authenticum neque exemplar prostat.

exemplar ab ullo vel historico vel chronographo prolatum sit vel proferri a Bremensibus possit, cum tamen privilegia non præsumantur, nisi probentur vid. assert. *Libert. reipubl. Brem. p. 259. sqq. Acta Sweden contra Bremen p. 122. seqq.* GRYPHIANDER *de Weichb. pag. 82. n6.* LEUBER *de Stap. Sax. §. 466. seqq.* HENNING GOEDEN *cons. 39. n. 20.* Si quis asserat, cum mandatis nostris secretis, (puta privilegii, dignitatis, jurisdictionis) se venisse, omnes sciant, nemini quicquam, nisi quod scriptis probaverit, esse credendum, *ajunt Impp. in C. 1. C. de mand. princ.* Unde etiam ad essentiam privilegii scriptura requiritur, *Ruland. de Commiss. lib. 2. c. 4. n. 4. & 25.* ubi de aliis requisitis vide; adde GAIL. *lib. 1. observ. 1. n. 9.* ejusque editio petenti concedenda est, quia privilegia inspicienda sunt ad hoc, ut sciatur, quid in iis contineatur, & nemo præsumitur privilegiatus, nisi id probet, *gloss. 2. ad artic 18. lib. 1. Land-Recht.* Quamvis vero *Henricus Bersinus* civis Bremensis ad probationem eorum, quæ ipse de prærogativa civitatis Bremensis contra *Tilemannum a Badendorff* Lubecensem Hamburgi disputaverat, communicationem privilegiorum sibi fieri peteret; tamen is a Senatu voti compos fieri non potuit, ut in *Chron. Brem. MSCt.* refertur ad an. 1300. Neque inspectio illorum, ad quam se tum obtulit Senatus, hactenus subsecuta est, cum tamen privilegia nihil prosint, nisi producantur & sigilla recognoscantur; ut hinc satis pateat, Carolina hæc privilegia nullibi, nisi in mera jactatione & ore vulgi subsistere. Unde etiam ex hac inani jactatione in annales Bremensium MSCt. irrepserunt. Quod cum fundamentum sit aliorum privilegiorum, quæ insequuta sunt, eo destructo cætera etiam corruunt, verificaturque illud vulgare: *Et collapsa ruunt sublatis tecta columnis.* WESEMB. *cons. 13. n. 66. vol. 1.*

Disputatio civis Bremensis cum Lubicensi.

Senatus Bremensis recusat inspectionem privilegiorum.

SECTIO VII.

Caroli M. tempore nullæ in Saxonia urbes fuerunt.

Secundo notum & certissimum est ex ipsa rerum natura petitum principium, non entis nulla sunt accidentia, nullæ qualitates vel effectus, neque datio neque donatio ulla esse potest, nisi sit, cui fiat quique eam acceptet, etiamsi fiat a summo Principe. ALCIAT. *Respons. 34. n. 25. lib. 2.* Jam autem certum est & ex probatis historicis rerumque argumentis evinci potest, Caroli M. temporibus nullas in Saxonia i. e. Westphalia, Angrivaria omnique illo tractu inter Wisurgim, Albim, Salam, urbes vel civitates fuisse, sed pagos & villas tantum. De veteribus Germanis id jam olim prodidit *Cornel. Tacitus*, qui de ipsorum moribus ita scribit: nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum est, ne pati quidem inter se junctas sedes; colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit &c. Consentiunt STRABO, HERODIANUS, IRENICUS, ALTHAMER *in comment. ad Tacit.* MÜNSTER *in Cosmograph. lib. 3.* REINECC. *in Syntagm. historic. part. 3. de regno Germaniæ, Dresser & Petr. Berth. de urbibus Germaniæ & alii.* Atque hæc collectio plurium domorum per agros dispersarum pagi dicti sunt, sicuti hujus nominis frequens apud scriptores mentio occurrit, per pagos integros districtus denotantes, eleganter MARQUARD FREHER *lib. 21. de origin. Palatin. 5.* REINECC. *ad annales Caroli M. poet. anonym. fol. 9.* Domus ipsæ villæ sunt dictæ, sicuti definiuntur in *artic. 35. §. 1.* WEICHBILD. Dicitur & curia sepibus vel virgis septa *artic. 61. & 127. ibid. artic. 66. lib. 3. Land-Recht;* SOCINUS *cons. 166. n. 2. vol. 3.* Inde diminutivum *curtis* tam Romanis scriptoribus, quam Feudistis notum, in *C. unic. si de invest. feudi controv.* Quæ tamen nobilium propria fuisse videtur, vulgo *ein Hof*, inde composita *Juncker-Hof, Mayer-Hof.* Ex hac germanica orta est vox *huba terræ, ein Hufe Lands* i. e. prædium tantum agri complectens, unde quis se & familiam suam sustentare posset. BALD. & *F. F.* in *§. si quis de manso* dict. tit. *si de investitur.* HOTOMANN *in lexic. feud. verbo mansus.* Hinc est, quod una curtis nobilium scilicet plures mansos recepit; late ANDR. KNICHIUS *de pact. investit. lib. 2. cap. 3. n. 30.* WINCKELM. *notit. infer. Saxo-Westph. lib. 2. cap. 2. n. 12. & seqq. p. 250.* Tria ergo habitationum genera illo tempore in usu fuerunt, pagi, curtes, villæ, quorum illi totum, hæ partes repræsentant. Urbium in Saxonia usus ignotus fuit. De pagis Svevicis eorumque villis scripsit FREHER. *libr. 2. de orig. Palat. c. 13. & 15.* ejusque exemplum sequutus HENR. MEIBOMIUS de pagis Saxonicis atque ita pleraque loca Saxoniæ villæ Caroli M. tempore fuerunt, quæ diu post demum in urbes coaluerunt. De Paderborna *poeta anonymus Caroli M. ad an. 777. Tunc ibi villa fuit, tantum nunc Pontificalis ecclesiæ constructa nitet clarissima sedes.* Sed & *Ulma* villa Alemanniæ dicitur in *annalib. Fuldens.* ad an. 858. item curtis Regia ad a. 892. villa regalis a Carolo M. Augiæ majori coenobio concessa, apud *Mut. lib. 9. rer. Germ. in fine.* Ita *Francofurtum* villa dicitur in *cap. Caroli addit. 2. c. 25.* In eadem villa Francof. Imp. Ludovicus I. mense Majo conventum habuit Australium, Francorum Saxonum &c. ita & PAULUS LANGIUS in *chron. Ciricensi* ad an. 1198. villas aliquot regias recenset, nempe *Northusen, Salveld, Mühlhusen &c.* quæ postea muris inclusæ in urbium censum sunt relatæ. Plura de villis regiis vid. apud LEHMANNUM *in chron. Spirens. lib. 2. Cap. 18.* Quamvis vero sint, qui asserant, urbes eo tempore villas appellatas fuisse, tamen hoc ipsum est in quæstione. Neque enim verisimile est, si villæ tum fuissent urbes, Impp. veteres eas coenobiis ac ecclesiis donaturos fuisse. Ita Carolus M. an. 775. coenobio *Laurisheimensi* donavit villam *Oppenheim* in pago Wormatiensi sitam cum omni dignitate, *chronic. Laurisheim.* & valde abusiva imo insolita hæc acceptio villæ probanda est ab eo, qui in ea se fundat, cum villæ tunc temporis rusticorum tantum habitationes denotarint; inde *Gloss.* ad *artic. 55. lib. 2. Land-Recht. Die Stædte heissen wir zu Latein* oppida *und das ist ein Weichbild; aber ein Marck oder ein Dorff, welches nur mit einem Zaun oder Graben bevestiget ist.* Atque hoc ipse *Lehmannus* agnoscit, cujus verba adscribemus: *Ob nun wohl in folgenden Zeiten viel Flecken*

Caroli M. tempore nullæ urbes Saxonicæ fuerunt.

Pagus integrum districtum denotat.

Villæ nihil aliud sunt quam domus.

Curia, curtis.

Mansus, huba quid?

Tria habitationum genera usitata.

Paderborna olim villa.

Ulma villa Regalis.

Francofurtum villa.

Urbes an etiam villæ dictæ?

Villæ olim ecclesiis donatæ.

Differentia inter oppida & villas.

Civitates Imperii olim villæ fuerunt.

cken am Volck und Reichthum trefflich gewachsen, und jetzo fürnehme Reichs-Stædte seyn; so ist es doch gewiß, daß sie zu Zeiten der Teutschen Fræncksischen Könige und Kayser noch keine Stædte gewesen; sondern werden in den Historien nicht anders als villæ regiæ *genannt, in welchen die Könige gleichfalls* palatia *gehabt, und bisweilen auch Reichs-Tage dahin gelegt haben. Also werden ausdrücklich in der* Caroliner *Historie* villæ Regiæ *Reichs-Flecken genannt* Franckfurt und Ingelheim, *in welchen beyden* palatia *und etzliche Reichs-Versammlung gehalten &c.* Hæc LEHMANN. *lib. 1. chron. Spir. c. 18. Regino l. 2. annal. Franc.* WINCKELM. *notit. vet. Saxo-Westphal. lib. all. 2. c. 9. pag. 347. seqq.* Quæ pluribus exemplis illustrari possent, si opus foret.

SECTIO. VIII.

Sub Henrico Aucupe primum urbes in Saxonia condi coeperunt.

Henricus Auceps, primus urbium Saxonicarum fundator.

Ceterum hanc Imperii & habitationum formam nonnihil immutavit *Henricus Auceps* Imperator Romanus & ex Saxonibus primus, quippe qui primum urbes & civitates munitas contra Hunnorum irruptiones exstruere coepit. Qua de re eleganter differit *autor anonymus* a Theodorico *a Niem* episcopo Verdensi editus, de *privilegiis & juribus Imperi:* Illo tempore, inquit, nondum erant in nova Saxonia aliquæ civitates aut oppida munita, sed villæ campestres atque arces seu castra, in quibus quidem villis rustici, in arcibus seu castris nobiles & Saxonum satrapæ residebant, & postea hic Henricus (scilicet Auceps) incepit in nova Saxonia primo condere oppida illaque firmare muris & fossatis, vid. *assert. libert. reipubl. Brem. p. 518.* Cum hoc omnes scriptores consentiunt, quorum aliquos allegat LEHMANNUS *in chron. Spir. lib. 5. c. 1.* & Nos in *notitia vet. Sax. Westph. p. 355.* Posset id inductione exemplorum latissime confirmari, si quis nomenclaturam urbium Saxonicarum conditarum hic cumulare vellet. Ita dictus Henricus Auceps condidit Goslariam, Misniam & Quedlinburgum. *chron. Erf. MSCt. histor. de Landgr. Thur. c. 9.* GOBELINUS *in cosmodr. ætat. 6. c. 47.* Otto Magnus Magdeburgum GOBEL. *d. l.* SIGEBERT & SIEGFRIED *Presb. Misnensis.* ADAM BREMENS. *c. 60.* quod tamen alii Ottoni II. tribuunt; Bruno & Tanquardus Duces Brunswicenses urbem & arcem Brunsvigam CRANZ. *lib. 2. Sax. 31.* BUNTING. *in chron. Brunsv.* ANDR. KNICH. *in epopsi hypotyposis Daubinæ n. 408.* Erfurtum sub Henrico IV. muris cingi coepit. MUNSTER. *lib. 3. cosmograph.* licet PETR. BERTIUS *lib. 3. comment.* id diu post a factum statuat. Hamburgum Alebrand archiepiscopus muro circumdare & turribus munire voluit, nisi velocior ejus transitus votum illud impedivisset, quod postea Adelbertus sub Henrico IV. demum implevit. ADAM BREMENS. *in hist. eccles. c. 104. & 145.* Lubeca incunabula sua Henrico Leoni debet, incrementa Friderico Barbarossæ DRESSER. & BERT. *de urbib. German.* CHYTRÆUS *in Saxon. Joannes in lib. ad Statut. Lubec. & alii.* Aliorum alia & recentiora sunt initia, de quibus vid.

in villis rustici in castris nobiles commorati.

Goslaria ab Henrico Aucupe condita.

Magdeburgum & Brunswiga quando exstructæ?

Erfurti origo.

Hamburgi munitio.

Lubecæ incunabula.

LEHMANN *in chron. Spir. lib. 4. c. 5.* Neque tamen quisquam existimet, eam tum fuisse urbium formam, qualis hodie cernitur, sed talem, qualem vici nostri repræsentant, cum omnium rerum exigua plerumque sint initia: murum sepes faciebant, munitiones fossis, palis, & asseribus clausæ. Quo respiciunt Statuta Bremensia a. 1303. condita. *Se schoelen wesen buten unsen Muren und Blancken. artic. 15. & passim.* Quales urbes, tales & ædes, nempe luteæ & trabibus viminibusque contextæ. Formam apud Slavos descripsit HELMOLD. *lib. 2. c. 13.* Sed nec in construendis ædificiis operosi sunt, quin potius casas de virgultis contexunt, necessitati tantum consulentes adversus tempestates & pluvias; cujus generis primi homines apud *Senec. epist. 90.* postea Romani prisci, de quibus OVID. *6. Fastor.*

Ædificia veterum Saxonum inculta.

Quæ nunc ære nitent, stipula tunc tecta videres,
Et paries lento vimine textus erat.

Et tandem veteres Germani incoluerunt teste Herodiano lib. 7. rara apud Germanos, inquit, structura ex lapide ac lateribus densisque potius sylvis, quarum confixis coagmentatisque lignis quædam quasi tabernacula ædificant. Mansit inde appellatio Saxonum *Löven* pro tabernaculo in quam multa oppida Saxoniæ desinunt ut: Alvensleben, Hallensleben, Aschersleben, Isleben. REINECC. in Syntagm. hist. part. 3. fol. 448. sed & SPANGENBERG Salingleben non inepte vertit, *der Salingen Leuben* in *chron. Schawenb. l. 1. c. 4.* GEDANUM s. Dantiscum Borussiæ potentissimam hodie urbem esse, nec postremam Hanseatici foederis quis ignorat? & tamen de ea prodidit CRANZ. referente PETRO BERT. *lib. 3.* ante pauca secula legatum illuc Hamburgo missum in domo privata mandata senatui exposuisse, quæ unica illic stabat lateritia inter plures alias cannis palustribus ac limo firmatas. Vicum apertum primus asseribus munivit Primislaus Dux Poloniæ a. 1295., qui postea a. 1343. muris cinctus est. PETR. BERT. *d. l. 3.* Ita Philippus archiepiscopus Coloniensis sub Friderico Barbarossa *Coloniam Agrippinam* vallo & turribus munire coepit. ARNOLD. LUBECENS. *l. 3. chron. Slav. c. 11.* De *Groninga* Frisiæ sic scribit UBBO EMMIUS: ea muro etiam lateritio cingere se coepit a. 1110, cum ligneo septo pro muro usa hactenus per nonaginta annos esset. Tum portæ quoque, quales reliquorum oppidorum sunt, firmo opere structæ, fossæ ductæ, turres majoris munitionis causa in moenibus excitatæ, denique in oppidi veri formam tum primum conciliabulum versum &c. quos tamen muros postea aliquoties dejicere coacta est vid. EMM. *lib. 6. rer. Frisicar.* Fori Lubicensis quam exigua fuerint primordia, licebit cognoscere ex HELMOLDO *lib. 1. chron. Slav. c. 72. 77. & seqq.* ea diu non alias, quam luteas ædes agnovit, quousque exusta formam mutaret, *chron. Sax. MSCt.* cujus verba vernacula apponemus. Anno 1251. *verbrannte de Stadt Lübeck mehr denn half ut. Do möste man nicht mehr buwen van Leme, sondern van Barnstein. Do wart de Stadt ersten von Stenen gebuwet.* Consentit PETR. BERT. d. l. Sed & Bremæ circa a. 1200. primum exstrui coeperunt

Domus lapideæ veteribus Germanis ignotæ.

Dantiscum urbs ab exiguis initiis coepit.

Colonia & Groninga munitæ.

Urbis Lubicensis exigua initia.

Lubeca quando lateritia facta?

cameræ

cameræ lapideæ, cum antea ignotæ fuerunt *chron. Bremens. MSCt.* De Embdæ munitione cum dixisset Ubbo Emmius ad a. 1368. subjicit: Tantula tunc Embda fuit, quæ nunc pauculos intra annos ita crevit, ut in fortunatissimis, quæ sunt ad mare Oceanum, urbibus censeri queat *l. 14. rer. Frisicar.* Ipsa quoque templa olim lignea erant per Saxoniam, non lapidea. ADAM. BREMENS. *in histor. eccles. c. 15. & 104.* Ex quibus omnibus satis superque patet, exigua civitatum initia in Saxonia a temporibus Henrici Aucupis paulatim crevisse ac tandem in hanc formam coaluisse.

Embdæ incrementa.

Templa olim lignea.

SECTIO IX.

Brema urbs Caroli M. tempore in rerum natura non fuit.

Brema urbs Caroli M. tempore nondum nata.

Hæc cum sint communia initia civitatum Saxonicarum, quomodo sola urbs Bremensis exlex fuit ac lucem, priusquam nasceretur, aspexit. Quomodo illi ulla privilegia concedere Imperator Carolus M. potuit, quæ tum nondum in rerum natura fuit? respondet & WILH. DILICH. *in Chron. Bremens.* pag. 58. hoc modo: Brema utrum pagus tum fuerit an oppidum, non difficulter conjectari potest, muros non habuit; sed nec muri civitatem efficiunt. Fuisse autem locum ceteris eminentiorem, argumento est non tantum Fabirani nomen (apud Ptolomæum inventum) sed & episcopalis sedes ibi constituta. Et quod Willehadus a Carolo privilegia, quæ pagis dari non solent, impetravit, eaque Carolus conspicuo Rolandi testimonio publice posteris obsignavit omnibus tum maxime, quod ex privilegiorum verbis apparet, ea jus civitatis non dare, sed ornare. Hæc ille. Qui præterquam, quod Henricanum cum Carolino privilegio more majorum confundat, etiam in multis graviter hallucinatur, præsertim in eo, quod ex usu nostri temporis id vocabulum æstimans pagum pro villa accipit, cum sicut totum & pars differant. Ex quo conjicere licet, quam sit ipse in antiquitatibus Saxonicis hospes, qui ne quidem notationem urbis, cujus res gestas describere parat, cognitam habet; Cave, inquit *Henr. Meibomius* de *pagis Saxonicis*, pagum intelligas vicum seu villam muris ac portis carentem, ut hodie; nam in alio significatu pagus erat tractus sive districtus unius regionis vel populi alicujus pars, Germanis veteribus *ein Gau.* Neque Dilichium relevat politica civitatis consideratio ex Bodino lib. 1. de republ. 6. quia illa ad pagum non ad villam pertinet ac totum districtum denotat. FREHER. *de orig. Palat. lib. 1. c. 5.* Ita pagus Wormatiensis & Spirensis in antiquo libro Santgallensi civitas dicitur, LEHMANN. *in chronic. Spirensi lib. 1. c. 5* ubi hoc discrimen pulchre explicat, ibi civitas significat totum agrum omnemque ditionem. Saxones sua lingua *Börde* vocant, REINECC. *ad annal. Caroli M.* fol. 9. unde Longobardi dicti quasi *von der langen Börde*, talis fuit pagus Wihmodi cujus meminit *Regino lib. 2. ad ann. 804.* MEIBOM. *de pagis Sax.* qui nunc fere totus est *episcopatus Bremensis*, cui sic privilegia Caroli data esse oportuit. Brema si exstitit, villa saltem fuit. Villæ autem ex præsupposito Dilichii amplissimæ urbis privilegia minime competunt, quia villa non habet rempubl. *gloss. in l. respubl. in fine C. ex quibus caus. major.* usque adeo, ut privilegia oppido concessa ad villam non pertineant. WURMBS. *lib. 1. observ. practic. tit. 49. obs. 2.* nimirum, quia his, ut simiæ torques aut corona aurea non ornamento sed ludibrio est, eoque pertinent adagia: non omnis cothurnus cuique pedi aptus; Non omnibus omnia quadrant.

Caroli M. & Henrici V. privilegia passim confunduntur

Pagus Czau, Börde.

SECTIO X.

Bremæ in annalibus Francicis Caroli M. nulla mentio occurrit.

Quod si Caroli M. res gestas & annales Francicos oculatius perlustremus, nullam Bremæ mentionem inveniemus, ut ne villam quidem multo minus alium locum eminentiorem fuisse suspicemur. Quod argumentum licet sit ab autoritate negativum, eoque minoris ponderis, quasi non probet hoc esse, quod ab hoc contingit abesse, juxta versiculum *glossæ* in C. non hoc C. unde legitimi; tamen aliis indiciis & circumstantiis concurrentibus contemnendum non est, quomodo enim REGINO diligentissimus Caroli M. scriptor mentionem Bremæ præterire potuisset, cum lib. 2. pagum Wihmodi, in quo Brema sita esse debuit, inculcet? cum Mindam locum ignobiliorem non prætereat, sic enim scribit ad a. 798. Rex collecto exercitu Heristallio ad locum, qui Minda dicitur, pervenit, & totam inter Albiam & Wiseriam Saxoniam depopulando peragravit. Si eminentior aut munitior locus Bremæ fuit, cur eum populando non attigit Carolus procul dubio hic resistentes deprehensurus? cum vel recto itinere, vel prono Visurgis flumine illac transiturus intactum dimittere non posset? Rursus in annalibus rerum gestarum a Justo Reubero editis sic legitur ad a. 797. ipse more solito Saxoniam vastaturus intravit; nec prius destitit, quam omnes terminos ejus peragrasset: Nam usque ad ultimos fines ejus, qua inter Albim & Wiseram Oceano alluitur, accessit. Quin imo specialiter Hadeloclæ sive Hadeleriæ, ubi locus a castris Caroli *Carelsfant* dicitur, hic meminerunt *annal. Fuldens.*, *poeta anonymus*, *Albert. Abbas Stadens. Cranz.* & alii. Si ergo Hadeleriam ac Wursatiam in dioecesi Bremensi sitam non intravit, sed peragravit totam, quomodo Brema in eodem tractu comprehensa ac vix tribus milliaribus inde distans inaccessa evasit. Denique cum supra Bremam ad confluentiam Visurgis & Alræ in loco, qui Ferdi dicebatur, (ubi hodie Verda urbs sita,) Carolus criminale judicium celebraret ac Saxonum quater millia quingentosque viros propter defectionem capitali sententia plecteret, *annales rer. gestar.* JUST. REUB. *ad a. 782. poeta anonymus, Abbas Stadens.* CRANTZ. *d. l.* quomodo nunquam vel Bremam quatuor saltem milliaribus inde distantem pervenit Carolus vel in ejus loci mentionem inciderunt historici? Quod vero diploma Carolinum fundationis apud Adam Bremens. loci Bremon vocati & super flumen *Wirhaam in Wigmodia* siti meminit, quanquam & illud sit suspectum, tamen pro nobis facit, quod Bremam nec urbem

Bremæ nulla mentio occurrit.

Regino Wihmodiæ ac Mindæ meminit.

Carolus Saxoniam depopulatur.

Omnes terminos Saxoniæ Carolus percurrit.

Carelsfant in Hadeleria.

Carolus Verdæ judicium criminale exercet.

urbem nec villam ſed locum tantum appellet, non omiſſurum hanc dignitatis notam, ſi in eminentia aliqua fuiſſet. Quomodo & Ottonis M. privilegium datum Adalgago archiepiſcopo Hamburgenſi d. a. 966. Bremon locum nuncupat inter diplomata ERPOLD. LINDENBR. forte propter trajectum & pontem qui hic ſuper Viſurgi fuit frequentem ac notum, inde dictus Bremunt; ſicuti vicina Ochtmunt, Leſmunt, & contracte Leſmona, Leſma ab alveo & ore fluvii. Nec illud ſubticere volumus, quod ex *libr. donationum allegat* ADAM. BREMENS. c. 15. ubi Brema locus vel villa publica dicitur; id enim ſi in autographo ita ſe habet, ad poſteriora Willerici tempora pertinet. Quod ſi hoc in loco nunquam commoratus fuit Carolus, tantum abeſt, quod curiam ſuam hic celebraverit (*hætte zu Bremen jemahls ſeinen Hof gehalten*) multo minus credendum eſt, privilegiis eum ornaſſe, cum nullus locus in Saxonia ad Caroli M. privilegia provocet. Una Venetiarum urbs in Italia & libertatem ſuam ad Caroli M. autoritatem refert, ſi credimus *Alberico de* ROSAT. *in l. 1. C. de ſumma Trinitate* & aliis, quos refert TOBIAS PAURMEISTER *lib. 2. de jurisdict. Imp. c. 4. n. 34.* Quam urbem antiquiſſimam ac tunc quoque potentiſſimam fuiſſe novimus, neque reperimus, alias eodem honore dignas habitas. Aquiſgranum præ omnibus Germaniæ locis dilexit Carolus, ubi etiam palatium ac templum magnifice exſtruxit, EGINHARD. in *vita Caroli, poeta anonym. & alii*, neque tamen alia huic privilegia conceſſit, quam quod regni ſedem eam eſſe voluit. GUNTHER. *lib. 1. Ligur.*

Bremæ trajectus vel pons fuit.

Carolus nunquam Bremæ fuit.

Aquiſgranum Carolo M. charum.

Imperii ſedes conſtituta.

Hoc ubi prima loco, veluti cunabula regni,
Carolus eſſe volens, magno cum Francia Regi
Utraque ſerviret.

Paderbornæ quoque ſæpiſſime commoratus eſt Carolus, & libenter quidem HERMANN. KERSENBR. *in catal. epiſc. Paderb.* ubi etiam Leo Papa bis eum inviſit, *annal. Franc. ad a. 799. poeta anonym.*, *Abbas Stadenſ.*, CRANTZ. *lib. 1. Metrop. 2.* eorumque diſtinctas habitationes etiam nunc illic monſtrari teſtatur REINECC. ad annal. poetæ anonymi fol. 44 neque tamen villa ipſa in urbis faſtigium erecta, multo minus privilegiis ac immunitatibus ornata legitur. In eadem dioeceſi fuit Heriſtallum villa ita dicta ſive a ſtabulo Principis, ut vult CRANZ *lib. 1. Metrop. 12.* ſive a caſtris, quæ crebro hic habuit Carolus. *Poeta Paderborn. ad a. 797.*

Carolus Paderbornæ crebro commoratus.

Heriſtallum a caſtris Caroli dictum.

Ergo ſuo ſecum comitatu protinus omni
Aſſumto, Wiſuræ poſitis in littore caſtris,
Sedit, Heriſtallique locum juſſit vocitari.

Nequetamen ulla privilegia a Carolo obtinuit, ne quid de aliis Saxoniæ locis dicamus. Qui ergo tam felix locus Bremenſis fuiſſe putabitur, ut pro futura urbe, de qua ne cogitare quidem potuit Carolus, tam amplissima privilegia meruerit.

SECTIO XI.

Refutantur argumenta Dilichii pro antiquitate urbis Bremenſis.

Sedes epiſcopatus in urbe figenda.

Opponit tamen Dilichius, quod epiſcopalis ſedes Bremæ conſtituta fuerit. Id autem fieri niſi in urbibus non debeat juxta diſpoſitionem, *in C. epiſcopi C. non debere diſt. 80. C.* audivimus. Unde Baldus contendit, civitatem non dici, niſi cui præſideat epiſcopus *in C. ex hoc jure ff. de Juſt. & jure & ex l. unaquæque 36. C. de epiſcopis & clericis.* Sed hanc Baldi & Canoniſtarum opinionem, hodie nec ipſe Dilichius reciperet, & LL. communiter rejiciunt, LOSÆUS de *jure univerſitatum part. princip. c. 2. n. 16.* Fuerit licet talis conſuetudo Italiæ, de qua SIGONIUS lib. X. de *regno Italiæ* in *Henrico IV.* Ea terminos ſuos tam loci quam temporis egredi non debet; in Saxonia certe obſervari non potuit, ubi nullæ tum fuerunt urbes. Aut ergo ſequeretur, Carolum nullos epiſcopatus in Saxonia condidiſſe, aut Dilichii ratio Bremæ nihil patrocinatur. Cum enim hic locus prope Viſurgim a frequentia hominum fluvium illic tranſeuntium ſitusque commoditate, quia nutrit copioſe optimos piſces & eſt fertilis & omnibus bonis abundans patria, ut loquitur *autor de jurib. & privil. Imper.* eccleſiæ electus eſſet, factum eſt, ut præter epiſcopi habitationem etiam alia domicilia hic aggregarentur, donec ſucceſſive in vicum coaleſceret. Ut non urbs epiſcopatui ſed epiſcopatus urbi cauſam & incrementa dederit, ejus rei ex multis unum & alterum exemplum ſubjiciemus. De eccleſia Hamburgenſi, ubi caſtellum tantum fuit, cum illic archiepiſcopatus conderetur, vide diploma Nicolai Papæ inter privilegia LINDENBR. & apud ADAM. BREMENS. *c. 105. & 145.* De epiſcopatu Aldenburgenſi, qui poſtea Lubecam translatus eſt, ſic ſcribit *Helmoldus lib. 1. chron. Slav. c. 72.* Vicelinus epiſcopus incolere coepit inſulam, quæ dicitur Buzoe, & habitavit ſub fago, quouſque exſtruerent caſas, in quibus conſiſtere poſſent; coepit autem eccleſiam ibi ædificare in nomine Domini: initia vero epiſcopatus erant in magna teneritudine. Hæc & plura ibi. adde eund. *Helmold. lib. 1. c. 83. fol. 66.* neque aliud Willehado Bremæ, ſiquidem hic unquam fuit, inter Saxones incredulos & fidem chriſtianam averſantes contigiſſe credendum eſt. Ubi amplius terræ propriæ non habebat Carolus, quam quantum ſua pecunia a nobilibus Saxonibus ad conſtructionem eccleſiarum redimeret, teſte *Authore de jurib. & privil. Imp.* adde ADAM. BREMENS. *c. 98.* Multo minus *Phabirano* Ptolomæi quicquam movemur. Quis enim ſponſione facta nos ſecuros reddet per illud *Bremundam* intelligendum, cum utriusque nominis nulla ſit ſimilitudo, nulla longitudinis aut latitudinis convenientia, nulla loci æqualitas; ſed maxima diſtantia. Nam Ptolomæus Phabiranum prope Teceliam (*Texel* inſula) in Friſia collocat, cui etiam eodem gradu reſpondet. Ut taceamus, quod Ptolomæi tabulæ in multis incertæ & corruptæ ſint, quibus illæ duæ judicum Romanorum litteræ apponendæ N. L. Addemus hic Franciſci Irenici judicium lib. 1. c. 2. Plinius, Strabo, Ptolomæus magis obſcurarunt quam illuſtrarunt Germaniam in quo enim Strabo cum Ptolomæo convenit, tanta rerum variatio, tanta nominum novitas, ut profecto vix in ambobus nomen noſtri ſeculi integrum ſeu cognitum reperias. Hæc ille. Eſto tamen, collocetur Phabiranum in Saxonia; nihil aliud, quam col-

Baldi opinio rejicitur.

Conſuetudo Italiæ alio trahenda non eſt.

Occaſio vici Bremenſis.

Epiſcopatus Bremenſis urbi cauſam dedit.

Epiſcopatus Aldenburgenſ. initia.

Willehadi fortuna inter Saxones incredulos.

Carolus in Saxonia terram a nobilibus redimit.

Brema an ſit Phabiranum Ptolomæi?

Ptolomæi tabulæ incertæ.

collectionem aliquam hominum per pagos dispersorum inde eviceris, ita enim Petr. Bert. id nomen accipit *lib. 1. comm. rer. Germ. c. 21.* Quas Ptolomæus (inquit) civitates vel πόλεις vocat in Germania, eas non oportet existimare fuisse urbes vallo, fossa, portis ac propugnaculis munitas, quales nunc permultæ per universam Germaniam cernuntur, sed fuerunt nihil aliud, quam societates hominum certo foedere ac legibus collectorum simulque degentium &c. quod nihil est aliud, quam quod supra de pagis Saxonicis commentati sumus, quibus privilegia Bremensia non competere palam est.

SECTIO XII.

Quando urbs Bremensis coeperit?

Brema Caroli M. tempore nondum nota.

Manet ergo verum, Caroli M. tempore Bremam urbem in rerum natura non fuisse. Non ergo privilegiis à Carolo M. ornari potuit. Quin ne Ottonis quidem M. tempore fuisse ex supra allegato ipsius diplomate non obscure apparet. Monasterium enim tantum illic nominatur, cui Imp. forum s. mercatum addit ejusque construendi licentiam Adelgago archiepiscopo Hamburgensi concedit a. 966. Ab illo ergo tempore Brema jus fori *Marckt-Recht* accepit, cum antea id non haberet, sed ita, ut ad archiepiscopum illud pertineret. Et quis scit, si Adalgagus illud, quod impetrato privilegio facere poterat, etiam actu præstiterit; nam ejus successores Libentius & Beselinus eandem licentiam erigendi forum vel mercatum Bremæ à subsequentibus Impp. impetrarunt, ut testantur diplomata ab *Erpoldo Lindenbr.* collecta, & fieri etiam potuit, ut, quod unus inceperat, alter postea compleverit. Inde illa diversitas autorum circa munitionem urbis Bremensis. Ita de Libentio: tunc Brema muro muniri cœpit firmissimo, *Adam Bremens. cap. 75.* Repetit *Albert. Abbas Stad.* ad ann. 988. sed ut non immerito firmissimi epitheton omittat. Uterque hujus obliti inchoationem Alberto tribuunt ad an. 1035. Herimannus archiepiscopus Bremensis magnum ingressurus opus, uti loquitur Albertus fol. 118., sed vix jactis fundamentis cum opere vitam finivit; successor vero Bezelinus murum civitatis à prædecessore suo Herimanno orsum in gyro construens aliquibus in locis eum usque ad propugnacula erexit, alias quinque aut septem cubitorum altitudine semiperfectum reliquit. *Ad. Bremens. c. 102. & seqq.* de eod. *Cranz. lib. 4. Sax. 39.* ejus opera & Brema & Hamburgum urbes communitæ sunt. Aliter CHYTRÆUS *lib. 4. Sax.* prope finem *ex Ad. Brem.* c. 86. Unwanus archiepiscopus primo fossa & aggere parvo Bremam munivit, obiit a 1010. adde *Dilich. in chron. Brem.* ad *ann. 1055.* Sed & Libentius vicum trans fluvium ab incolis terræ pretio redimens & fratribus offerens, triginta ex eo per annum convivia dari statuit, *Adam. Bremens. c. 98. hist. archiep. Bremens. in Libent. 2.* Ab hoc ergo tempore verum esse coepit, quod scribit *Petr. Bert.* lib. 3. Brema ignobilis primum ad Visurgim vicus fuit; quam exigua ejus fuerit autoritas sub mortem Adelberti Archiepiscopi a. 1072. qui tamen præ cæteris civitatem & ecclesiam Bremensem valde exaltavit, eamque cæteris urbibus coæquare constituit, *Ad. Brem. c. 126.* constat ex eodem Adamo archiepiscopi coætaneo, quando parvulam Bremam appellat; Archiepiscopus, inquit, ita munificus, ita affabilis erat, ut parvula Brema ex illius virtute instar Romæ divulgata ab omnibus terrarum partibus peteretur, in *hist. eccles.* c. 42. p. 269. 270. Idem tenuem civium fortunam describens civitatem civibus & forum mercibus defecisse scribit *c. 183.* sed nec sub Friderico Barbarossa multo majoris potentiæ fuit. Ita enim de eadem urbe ab Henrico Leone occupata CRANZ. nondum, inquit, erat tunc illa, quæ nunc cernitur, urbis munitio lib. 6. Sax. 21. In eandem sententiam differit *Ubbo* EMMIUS *lib. 7. rer. Frisic. Bremenses*, inquit, *moenibus quoque suis diffisi, quæ valde modica tum erant, portas Christiano Comiti Oldenburgico aperuerunt.* Et post: *Bremam nec præsidio satis munitam nec moenibus confidere ausam, primo statim impetu recepit*, ut, qui præsentem urbis statum ad vetera tempora revocant, crassissime impingant contra Augustini regulam: Distingue tempora & concordabit scriptura.

Monasterium Bremense, urbe antiquius.

Brema quando muris inclusa?

Brema vicus ignobilis.

SECTIO XIII.

Caroli M. tempore servi ac mancipia in villis habitabant civium conditione ignota.

Tertium falsitatis argumentum nobis suppeditat ordinum distinctio Caroli M. & subsequent. Impp. temporibus usitata. Quatuor enim ordines Saxonum fuerunt, nempe *Adelingi, Frilingi, Frilatzi* & *Lassi.* ADAM. BREM. *lib. 1. hist. eccles. 5.* REINECCIUS ad *annal. Caroli M* p. 59. HEIG. *part. I. quæst. Saxon. 8. n. 15.* licet NITHARDUS lib. 4. *hist.* apud *Pith.* ad tres contrahat. Ex quibus nobiles & liberi in castris sive curtibus residebant, cæteri in villis, FREHER. *de orig. Palat. lib. 1. c. 5.* MEIBOM. *de pag. Sax. in princ.* Quanquam hi ordines ita ascenderunt, ut, qui hodie nobis sunt nobiles, olim liberi dicerentur, per nobiles autem Duces & comites intelligerentur, REINECC. *ad annal. d. l.* Inde nomen *Frey Herren* Baronum superest, qui tum *Freyen* ac Frilingi dicebantur, REINECC. *in append. ad chronic. Hierosolymit. lib. 3. c. 55.* FREHER. *ad* PETR. *de* ANDLO *lib. 2. de Imper. Rom. c. 12. Frilatzi* liberti erant, quasi in libertatem dimissi, *Freygelassene, Gloss. latin. Theotisc.* Libertini Frilaza in *vet. carm. Germ. Eygen-Leute lasse ich frey.* De his multa in formularum libris MARCULFUS *monachus* & in notis ad eundem HIERON. BIGNONIUS. Lassi servi, ita dicti, quod ab antiquis Saxonibus relicti essent ad colendum agrum, *Lassen*, à *gelassen*, quasi in provincia relictos. *Gloss. ad art. 2. lib. 1. Land-Recht in fin. art. 44. lib. 3. eod. Gloss. ad art. 50. Weichbild* & passim ibi: *da liessen sie die Bauern.* de quibus ANDR. KNICHEN. *in encyclop. c. 1. n. 80. seqq.* Quam multi enim tam in superiori quam in inferiori Germania ejusmodi hominum propriorum reperiantur, tradit HERINGIUS c. 7. n. 317. de *fidejuss.* In Palatinatu vocantur Wildfangii, unde jus Wildfangiatus, vid. autor *justitiæ causæ Palat.* Sed & *Liti* dicuntur, de quibus ALBERT. *Abbas Stadens.* ad an. 915. plures, inquit, se eis dediderunt proprios, & qui ab eis vivere sunt permissi, *Litones* sunt eodem vocabulo

Quatuor Saxonum ordines.

Nobiles & liberi in castris commorati.

Barones liberi.

Liti quinam fuerint?

bulo nuncupati. Inde Litones in provincia Saxonum ſunt exorti. Ad eos pertinet lex Ludovici Pii: *Aldiones* vel *Aldianæ* ea lege vivunt in Italia ſervitutem dominorum ſuorum, qua *Fiſcalini* vel *Lidi* vivunt in Francia apud ANSEGISUM *lib. 4. c. 104.* JO. GRYPHIAND. *tract. Weichb. Sax. cap. 24. p. 82.* Appellantur etiam *Unmundtlingi* in privilegiis Imperatorum *Saxonicorum*, ut in privilegio Ottonis M. dato Adalgago archiepiſcopo Hamburgenſi a. 937. ubi textus ſic corrigendus eſt: Quamvis vero inter colonos & ſervos hoſce differentia quædam fuerit, (de qua Siccam. *in notis ad ll. Friſic. fol. 73.*) ſicuti in donatione Williswinthæ coenobio Laurisheimenſi facta, ut diverſa ponuntur farinarii (*Mahlmener*) Liti, Liberti, conliberti, mancipia; tamen in eo conveniebant, quod certo ſervitutis nexu dominis ſuis obſtricti erant; eosque omnes apud antiquos Gallos & Germanos in nullo numero fuiſſe conſtat ex *Julio Cæſare:* Plebs, inquit, pene ſervorum habetur loco, quæ per ſe nihil audet, & nulli adhibetur conſilio. Plerique cum aut ære alieno aut magnitudine tributorum, aut injuria potentiorum premuntur, ſeſe in ſervitutem dicant nobilibus; in hos eadem omnia ſunt jura, quæ Dominis in ſervos *lib. 6.* de *bello Gallic.* adde *Tacit.* de *morib. German.* manebant autem ut dictum in villis & manſis; unde etiam manentes dicuntur, item *Meyer*, villici, coloni; de quibus KNICHIUS *l. 2. de pact. inveſt. c. 3. n. 13.* & quidem tam arcto nexu, ut una cum villis alienarentur. Ita Ludovicus Pius Eginhardo Secretario Patris ſui contulit prædia Michlenſtett cum ſervis Regis propriis 14. & uxoribus ſuis & filiis & Mühlenheim cum ſervis, uxoribus & liberis 13. *chron. Laurisheim. ad an. 805.* Ita in *antiquitatib. Fuldenſib.* refertur catalogus traditionum, ubi ſemper mancipia cum prædiis ac villis coenobio Fuldenſi conferuntur. Et ſimiles traditiones coenobio Bremenſi factas in diplomatibus ERP. LINDENBR. reperies. Hi ergo ordines tum in Saxonia fuerunt, civium conditione prorſus ignota; ac cum poſtea cum Henrico Aucupe & ſucceſſoribus villæ quædam in urbium cenſum aſſumerentur, manſit tamen illa ſervorum ac mancipiorum conditio in urbibus, quousque vel privilegiis vel pretio dato libertatem redimerent. Nam quod *Lehmannus in chron. Spirenſ. l. 2. c. 19.* differit, nobiles & ingenuos tantum urbes inhabitaſſe, id probari nullo modo poteſt. Ad quid enim illa manumiſſio civium, de qua LEHMANN. *lib. 2. cap. 20.* ſi ſervi non erant, cum privatio ſemper præſupponat habitum, l. manumiſſio & ibi *Dd. ff. de juſt. & jur.* Ita *Henricus V. a. IIII. civitatem Spirenſem* cunctaque mancipia, quæ ibi habebat, regio impulſu libertate donavit EISENGRINIUS *in chron. epiſc. Spirenſ.* in Gerh. Ita Otto Dux Brunſvicenſis omnes & ſingulos cives manumiſit an. 1314. KNICH. *in encyclop. c. 1. fol. 8.* Hæc cauſa eſt, cur a. 1356. vicini comites Hoienſes multa civium Bremenſium in ſervitutem ſuam aſſererent, adeo quidem ut bellum exinde naſceretur. *Chron. Bremenſ. MSCt. Dilich. in chron. Brem. fol. 107.* eoque in ſtatutis Bremenſibus ſtatuto 36. cavetur, quod nemo ad Senatum aſpirare debeat, niſi ſit homo liber, *de ſchol weſen ein Borger und fry geboren*: quo ſtatuto opus non fuiſſet, ſi non eodem tempore Bremæ ſervi adhuc inventi eſſent. Quæ omnia priſtinam conditionem ad tenuitatem villicorum & ſervorum à Caroli M. temporibus ad poteſtatem delatam indicant, quæ ſucceſſive poſtea in civium prærogativam tranſiit.

Aldiones Fiſcalini.

Villici, coloni, Meyer.

Servi cum villis translati.

Cives in Saxonia ignoti.

Servi in urbibus priſtinam conditionem retinebant.

Cives libertate donati.

Civium Bremenſium multi ſervi.

SECTIO XIV.

Privilegia veterum Impp. ad libertatem & immunitatem tantum pertinent.

Quarto hinc conſequitur privilegia à priſcis Impp. irrogata ad libertatem & immunitatem civium tantum pertinere. De libertate exempla jam dedimus; ex quibus celebre eſt Henrici V. privilegium a. IIII. civitati Spirenſi conceſſum, quod omnes, qui in illa habitant, vel deinceps habitare voluerint, a Lege & parte illa, quæ vulgo *Butteil* vocabatur, ſoluti eſſe deberent, & neque advocatus neque dominus naturalis de illorum morientium ſuppellectile quicquam auferre præſumeret. Eodem modo & cives Wormatienſes ab actione Juris, quæ *Bidel* dicitur, immunes & ab exactione optimi animalis ſive pretioſioris veſtimenti, quod vulgo *Haubt-Recht* vocatur, de cetero abſoluti ſunt a Friderico Barbaroſſa Imperat. A. C. 1180. KNIPSCH. *de civ. Imp. f. 1030.* b. LEHMANN. *in chron. Spirenſ. lib. 4. c. 22. fol. 350. & ſeqq.* ubi explicat, quid ſit *Butteil, Haubt-Recht, Gewant-Fall, tote Hand manus mortua &c.* Et cum ex privilegio Ottonis M. de a. 937. aliisque ſubſequent. Impp. conſtet, etiam Bremæ ac vicinis locis multa fuiſſe mancipia, Litos ac colonos ad monaſterium Bremenſe pertinentes, non potuiſſent eorum privilegia majus quid, quam libertatem continere, quippe quod ſine libertate nullius juris capaces eſſent. Qualis enim conditio ſervorum illo tempore fuerit, explicavit ſatis copioſe LEHMANN. *lib. 2. Chron. Spir. c. 20.* Neque hanc ſervitutem a Bremenſibus Carolus M. ſuſtulit, ut videtur velle DILICH. ad a. 1356., cum diu poſtea perduraverit. Multo minus huc pertinet libertas a Carolo Saxonibus indulta, quia ad nobiles & liberos tantum pertinuit, non ad Litos, multo minus ad Laſſos, alioqui nullus ſervus in Saxonia remanſiſſet, quanquam illa Saxonum libertas magis ſpecioſa fuit, quam vera, quia ſub Henrico Aucupe Saxoniam demum vere liberam factam eſſe prodidit, WIDICHIND. *monach. lib. 1.* conſentit CRANZ. *lib. 3. Sax. 1. Reinecc. ad annal. Carol. M. fol. 15. Beat. Rhenanus lib. 2. rer. Germ.* GUIL. KYRIAND. *in annal. Trevir. p. 13. in fin.* De immunitate a vectigalium & tributorum exactione id docuit REINER. REINECC. de *orig. Sax.*, licet JO. DAUTH. in *diſcurſ. generali & ſpeciali* contra ſentiat, quanquam id quoque ſerius fuit; nam olim immunitas eccleſiaſticis prædiis conceſſa legitur, cum villæ ac oppida adhuc ſub comitum Imperio eſſent, unde paſſim *Graffſchafft* & *Mundat* (vocabulo corrupto) id eſt terminus coenobii, ſeparantur, quomodo adhuc alicubi locus civitatis, ut Naumburgi, *auf der Freyheit* dicitur. Quæſtiones etiam, quas ab his, qui extra civitatem, in locis tamen, quæ ad emunitatem (quæ

Privilegium Spirenſis urbis.

Wormatienſium libertas.

Buiteil Haubt-Recht quid?

Bremæ mancipia ac liti.

Sub Henrico Aucupe Saxonia vere libera.

Immunitas olim ad prædia eccleſiaſtica pertinens.

(quæ vulgo dicitur *Muntale*) spectantibus habitant ante cameram prænotati Abbatis deduci contigerit &c., hæc ex TRITHEMIO in *Chron. Spanheim.* recitat FREHER. in *glossar. voc. semilatin.* Ut hinc satis constet, civitates tunc temporis comitum adhuc Imperio subditas fuisse, immunitatemque non habuisse, nisi quatenus singulari privilegio eam accepissent.

SECTIO XV.

Item ad mercaturam, sed ut Henrici Aucupis imperium non excedant.

Civitatum privilegia ad mercaturam pertinent.

Addimus hic facilitatem mercaturæ, quia ad hanc quoque in urbibus promovendam Impp. veter. privilegia tendunt; ita tamen, ut Henrici Aucupis ævum non egrediantur, sed intra ejus tempora consistant. Hic enim Cæsar primus veterem habitandi formam ita immutavit, ut nonum quemque ex agris in urbem migrare jusserit, certa parte frugum in horrea publica delata, SIEGEBERT GEMBLACENS. *ad a. 925. Chron. Sax. vet.* BUNTING in *chron. Brunsvic.* DILICH. *in chron. Brem. fol. 60.* Qua de re sic legitur *in chron. Erford. MSCt.* *König Heinrich geboth, daß der neunte Mann von dem Lande in die Stædte führe und baueten die Veste und daß keine Tabernen* (tabernæ institorum) *wæren und keine Dogeding und keine Marckte und keine Hochzeiten, denn in den Stædten* &c. quæ sententia latine expressa est a GOBELINO *in Cosmodr. æt. 6. c. 47.* Hæc prima sunt incunabula privilegiorum urbibus ac oppidis concessorum, quæ ad negotiationem ac opificia (vulgo *Bürgerliche Nahrung oder Handthierung*) tantum pertinere palam est. Itaque de hoc Imp. Henrico Aucupe intelligendum est, quod legitur ipsum ad petitionem mercatorum de consilio procerum judicasse, ut civitates firmas cum muris, turribus & propugnaculis exstruerent circa aquas navi potentes & flumina navigabilia, *in art. 9. Weichb.* Ita Otto Imp. dicitur Magdeburgensibus dedisse pontem super Albim & mercatoribus liberum commercium. *Freyheit zu schiffen, zu handthiren, zu kauffen und zu verkauffen, ab- und zufahren und über alle Land und Meer zu Wasser und Land, zu Roß und Fuß zu reisen, und habe ihnen gegeben ihr Gewerb frey zu Wasser und zu Lande nach ihren besten Nutzen zu üben und zu gebrauchen,* ut habet *versio Galli* ex *Brotuff* in *chron. Mersch.* quod ipsum tamen SPANGENBERG Carolo M. quoque tribuit in *chron. Sax. c. 86.* Ut hinc appareat frequens esse civitatibus recentiora privilegia ad Carolum M. referre: pertinet huc illud privilegium, ne liceat castrum vel forum ædificare, nisi milliare unum distet ab alio *artic. 66. lib. 3. Land-R. & lib. 2. art. 26.* nimirum, ne civitas una propter vicinitatem alteram in negotiatione impediat; item privilegium nundinarum certo tempore celebrandarum; de quo TESSAUR. *decis. 264.* MATTH. STEPHAN. *l. 2. d. jurisdict. part. 1. c. 1. membr. 2 n. 98.* GRYPHIANDR. *Weichb. p. 263.* sic Otto M. Imp. A. C. 966. Adeldago archiep. licentiam concessit: quæ omnia ad utilitatem commerciorum tendunt; unde ipsæ civitates olim mercatus ac fora, item foralia dicta *in artic. 7. & 2. artic. 9.* & passim *Weichbild.* Quod scilicet jus fori & emendi & vendendi habeant, *Marck-Flecken, die Marckrecht haben,* ita Glossa forum interpretatur, *Marckt von allerley Bürgerlichen Handthierungen, welche denen Stædten zustændig seyen, ad art. 66. lib. 3. Land-Recht.* Ita Lubeca passim forum dicitur ab HELMOLD *lib. 1. chron. Slav. 77.* Ex quo colligitur, quædam oppida fuisse, quæ non haberent jus fori. Sic enim cives Lubicenses, supervacuum est, inquiunt, consumtis domibus reædificare in loco, ubi non finitur esse forum. HELMOLD. *d. l. c. 86.* & in hunc finem primum instituta est societas *civitatum Anseaticarum,* hoc est ad mare sitarum nempe commerciorum promovendorum caussa; CHYTRÆUS *lib. 33. Sax.* BODIN. *lib. 1. de republ. 7. n. 69.* ANDR. KNICH. *in encyclop. c. 16.* WAREMUND. *ab* ERENBERG *lib. 1. de foedere 2. n. 44.* Licet de fine diversum sentiat KECKERM. *in system. polit. lib. 1. c. 24. prope fin. 1.* Quod vero *Sibrandus* disputat, per hæc verba privilegii de anno 1459. *So hebben Wy ehnen gegeven en Stadt-Recht to hebbende und to förende als to Lübeck und Rostock ene Wyse und Gewahnheit ist* &c. oppidulo *Marlow* in Megapoli concessam esse omnimodam jurisdictionem & merum imperium *ad Stat. Lubec. Sect. X. n. 19;* id recipi neutiquam potest; præsertim cum ipse Sibrandus fateatur, consvetudine aliud receptum, neque oppidulo criminalem jurisdictionem competere.

Henricus Auceps primus rusticos in urbes coegit.

ejus constitutio.

Locus Juris municipalis explicatur.

Magdeburgensium privilegium.

intervallum duarum civitatum.

Lubeca forum appellatur.

Foederis Anseatici finis.

Jus fori non importat Jurisdictionem.

SECTIO XVI.

Civitates olim potestatis incapaces cingulum militare non habuerunt.

Cum ergo ad libertatem & immunitatem tantum tendant civitatibus ac oppidis antiquitus indulta privilegia: tum maxime suspecta imo falsa sunt illa, quæ non jurisdictionem saltem, sed & regalia ipsis tribuunt. Cum ab Henrici Aucupis tempore, sublimis hujus juris villæ & oppida nondum capacia essent; non enim habebant clypeum sive cingulum militare, absque quo nemo bannum regium usurpare poterat *art. 3. lib. 1. Land-Recht;* sed is ad comitem civitatis pertinebat. Quamvis vero JO. DAUTH. in *discurs. gener. & spec. fol. 39.* contrarium disputet ac ex prætenso privilegio Ottonis M. tum etiam ex chronico quodam Magdeburgico contendat, etiam civitates clypeum militarem *den Heerschild* habere ex instituto Henrici Aucupis, tamen Ottonis illud privilegium falsum esse superius monuimus; chronici autem hujus autoritatem juri Saxonico merito subjicimus, non enim sequitur, nobiles ac liberi eorumque vasalli ac banniti in oppidis viventes habent clypeum *d. art. 3. lib. 1. Land-Recht art. 1. Lehn-R.* ergo ipsum oppidum quoque clypeum habet, cum singulorum jura cum jure universitatis nihil commune habeant *l. 2. l. 7. §. 1. ff. quod cujusque univers.* & hæc ex *Litis* & *Lassis* maximam partem conflata esset. Quod vero cives ad res expeditorias capiendas ex privilegio Henrici Aucupis admissi sunt *art. 25. Weichbild.* HEIG. *part. 1. quæst. Sax. c. 8.* quod jus antea soli militares habebant *art. 27. l. 1. Land-Recht,* non ideo ipsis dignitate & potestate æquati sunt non magis, quam Licentiati Doctoribus sunt pares, licet in favorabilibus jure ac privilegiis Dd. gaudeant,

Privilegia antiqua civitatibus jurisdictionem tribuentia suspecta sunt.

Civitates cingulum militare non habebant.

JO. DAUTHII *contraria opinio.*

Jus singulorum non est jus universitatis.

TIRA-

Licentiati Dd privilegiis gaudent.

TIRAQUELL. *de LL. connub. gloss. 2. n. 1.* BENCKENDORF *ad lib. 1. membr. 2. part. 4. n. 27. de R. J.* nam & rustici arma & res expeditorias habere & relinquere possunt *gloss. ad d. art. 27. l. 1. Land-Recht.* ROSCHITZ *de reb. expedit. art. 22. n. 16.* qui tamen clypeum militarem non habent, quibus etiam mercatores in prohibitione armorum fere comparantur; *in ff. si quis rustic. 5. de pace ten. in usib. feud.* Esto tamen, sit vera illa *Chronici Magdeburgici* collectio; tamen illa ipsa fatetur, ab Henrico Aucupe primum cives id jus consequutos antea non habuisse, sic enim habet textus: *Die Bürger geben und nehmen Heer-Geræte; darumb haben sie den Heerschild von Gesetzes wegen Kayser Henrichs, denn bey* Caroli *Zeiten war das Recht auf die Bürger nicht gesetzt.* Ut hinc quoque falsitas chronici Bremensis liquido pateat, dum id jus a Carolo M. deducit. Pertinet huc, quod civitates ad publicos conventus & curiam Regis nunquam vocatæ ante tempora Friderici Barbarossæ; de quibus OTTO FRISING. *lib. 2. de gest. Frid. c. 12. in fin.* ex antiquo Saxonum instituto, quorum nobiles saltem ad conventus veniebant, REINECC. *ad annal. Carol. fol. 61.* nam quæ *Lehmannus* differit, ea ad recentiora tempora pertinent *l. 4. Chron. Spir. 3.* Sed neque antiquioribus Principum diplomatibus civitates interfuisse vel pro testibus adhibitæ leguntur, nisi sub dicto Friderico Barbarossa *de pace constant. in usib. feud. & passim.* Quo tempore, si Brema in aliqua autoritate fuisset, procul dubio ejus magistratus Friderici Cæsaris diplomati ecclesiæ Hamburgensi super castro & comitia Stadensi a. 1180. concesso adhibitus fuisset. Cum enim illi Otto major præpositus, Burchardus canonicus aliique ministeriales archiepiscopi ex urbe Brema pro testibus interfuerint, mirum est, consules ejus urbis plane præteritos; nisi quia in rerum natura nondum fuerunt; quæ omnia hodierno tempore longe aliter se habere non diffitemur.

Mercatores rusticis æquantur.

Caroli M. tempore cives res expeditorias non capiebant.

Civitates olim ad comitia non vocatæ.

neque bullis Cæsarum insertæ.

Magistratus Bremensis Friderici privilegio non adhibitus.

SECTIO XVII.

De statuis Rulandinis contrariæ scriptorum opiniones.

De statuis Rulandinis scriptorum opiniones.

Quintum falsitatis argumentum nobis suppeditant statuæ Rulandinæ, in urbibus nonnullis Saxonicis positæ, de quibus vide *act. Braunsv. part. 3. fol. 933.* GRYPHIAND. *Weichb. cap. 1. & seqq.* CRUS. *de præcedent.* p. 292. seqq. CONRING. *de urbib. §. 11. Acta Schweden contra Bremen p. 127.* KNIPSCHILD. *de civit. Imp. fol. 9.* Quamvis enim eas scriptorum plurimi ex vulgi judicio ad Caroli M tempora referant; tamen inter se tam varii & discordes sunt, ut verbo Plinii nulli duo concinant, quæ certissima est falsitatis nota, teste JOSEPH. *adverf. Appion.* Alii a Carolo M. in honorem Rulandi eas erectas volunt, ut GEORG FABR. *lib. 7. orig. Sax.* REINECC. *ad annal. Carol.* SPANGENB. *in chron. Saxon. cap. 74.* LINDENBR. *in chron. Caroli M. chron. Bremens. MSCt.* alii ab ipsis Saxonibus, ut ERNEST. BROTUFF. *lib. 1. chron. Martisb. 21. cap.* Et quamvis in eo vere consentiant scriptores, libertatis ac privilegiorum quorundam easdem indices esse; tamen quæ & qualia sint, illa determinare nequeunt. Itaque plerique in genere subsistunt, ut SPANGENB. *de loc. comm. in sol. c. 3* CRANZ. *l. 10. Sax. c. 2.* REINECC. *in comm. ad poet anonym.* REUSNER. *in app. Geneal. in Stemmate Carol. chron. vet. March. lit. C. chron. Brem. MSCt.* & ejus abbreviator DILICH. *fol. 39. & 58.* nisi quod JOH. DAUTH JCtus & advocatus Magdeburg. ut & BROTUFF. magis ad speciem descendunt & ad usum judiciorum statuas has pertinuisse agnoscunt; ille *in hypotyp. contr.* ANDR. KNICH. *sect. 8.* sed his ipsis viris eruditis & prudentibus, qui omnes nostrum seculum attigerunt, in eo, quod a Carolo M. statuas has profectas putant, imposuit tum vulgi communis opinio & jactantia, tum nominis etiamnum remanentis memoria; cujus tamen longe aliam causam fuisse postea demonstrabimus. Et alias notum est, argumentum ab etymo & allusione nominis fallax & lubricum esse, nisi aliis adminiculis sublevetur JCtis ipsis fatentibus EBERH. *in top. in loc. 4.* nec fama & opinio ex errore & imperitia orta in historiis, ubi de facti veritate agitur, magnas vires habet, quia plus valet, quod in veritate est, quam quod est in opinione *ff. 11. Inst. de legat.* Fama summam rei nunciat, non ordinem, ait PLINIUS; & fama est res fragilis introducta ab iis, qui desiderant de aliquo famam esse, ut definivit BALDUS. Fere enim scriptoribus usu venit, quod de Rulandi hujus fabulis subjicit CÆSAR BARONIUS, sæpe suorum gentilium nimius ardens amor plures fallere coëgit historicos, ut absque delectu perciperent quæcunque scripta, quibus ipsi quolibet modo gloriam suis compararent, *in annal. eccles. ad ann. 812. in fin.* Quod si primos autores famæ hujus inquiramus, quia fama requirit originem non procuratam vel emissam ab eo, qui famam allegat, teste FREHER. *lib. 1. de fama & exist. c. 3. n. 2.* nullam vel ex Francis vel Germanis scriptoribus, qui Caroli M. annales, h. e. cujuslibet anni res gestas in litteras retulerunt, hujus rei tam notabilis mentionem fecisse inveniemus. Quin ne posteriores quidem scriptores Impp. Sax. ullibi attigerunt, quorum tamen maxime intererat, insigne hoc libertatis monumentum ad posteros propagare. Denique nec compilator nec glossator juris Saxonici ambo in eruendis Saxonum institutis ac privilegiis satis curiosi, & posterior etiam fabularum amator, in Rolandi mentionem incidit; ut proinde recte concludatur cum JCto *in l. 28. de prob.* cum nullus ex ejus ævi scriptoribus vel audiverit vel viderit id opus fieri, ejus rei memoriam non exstare neque hodiernæ jactationi fidem adhibendam.

Statuæ Rulandinæ incertæ libertatis indices.

argumentum ab allusione nominis fallax.

Scriptorum incuria notatur.

Rulandinarum statuarum nulla mentio facta.

nec in jure Saxonico.

SECTIO XVIII.

Argumenta, quod a Carolo M. colossi Rolandini profecti non sint.

Hoc ut clarius pateat, sic colligimus. Si Caroli M. tempore collocati sunt colossi Rulandini, tum vel a Carolo M. vel a Rulando vel ab ipsis Saxonibus collocatos esse oportuit. Neutrum verum esse potest: cum enim illo tempore nullæ adhuc civitates aut oppida in Saxonia fuerint, ut supra demonstratum, quomodo statuæ hæ libertatis ac privilegiorum civitatibus indultorum indices esse potuerunt? cum non entis nulla sint accidentia, ut risui se exponat in deductione sua ad Carolum M. relata JOH. DAUTH. in

Colossi Rolandini a quo collocati?

in hypotyp. d. Sect. 8. Quod si libertatem & privilegia toti Saxonum genti à Carolo concessa illis designari dicas, quid id ad pauculas civitates Saxonicas magis pertinebit, quam ad universam Saxoniam? in qua vel unam statuam communi nomine poni satis erat, vel si plures requirebantur, in singulis pagis aut villis eas collocari oportebat. Deinde tradunt, libertatem illam Saxonibus singulari privilegio ad Salam fluvium A.C 803. collatam esse, ut *scripsit poeta anonym. Carol. M.*, licet *gloss. ad art. 82. lib. 3. Land-Recht* a. 810. id factum velit, vid. GRYPHIANDR. *de colossis Rulandinis cap. 22.* Rulandus autem in bello Gasconio in Hispania interiit a. 778., sicuti hoc anno omnes chronographos consentire annotat BARONIUS *in annal. eccles. ad an. 812.* Qui ergo vel Rulandus ipse vel privilegia quædam civitatibus Saxonicis dare potuit, uti incaute scripsit BROTUFF. *lib. 1. chron. Martisb. 24.* cum is diu ante fuerit defunctus, vel septem annis saltem, ut ipse *Brotuff* voluit in C. præc. quomodo vel minimum quid ad concessionem privilegiorum facere, cum diu post demum Saxones devicti fuerint, ac illo ipso tempore interitus Rulandi bellum in Saxonia recrudesceret? quod si in memoriam Rulandi collocatas a Carolo dicas causam reddere cogeris cur in sola Saxonia non etiam reliqua Germania collocarit? quanquam id manifeste cum instituto Caroli pugnaret idola & statuas omnes in Saxonia demolientis, de quibus LINDEBR. *in chron. Carol. fol. 65.* HENRIC. MEIBOM. *in tract. de Irmensula Sax.* Neque vero simile est, Carolum veteribus statuis abrogatis & destructis subitituisse novas, cum is omnem occasionem idololatriæ avertere voluerit? alioqui si non res tota auferretur, sed nomen tantum mutaretur, facile erat gentem Saxonicam rudem adhuc & vix primis initiis christianæ religionis imbutam, in eundem lapidem impingere, & pro Rulando Martem adorare, sicuti antea Harminium propugnatorem Saxonum contra Romanos adoraverat. Quam tenaciter autem vetus illa superstitio Saxonum animis inhæserit, constat ex historia JOANN. LETZNERI, quam recitat MEIBOM. *in dicto tract. de Irmens. c. 8.* ubi eos tempore Ludovici Pii pro columna superstite cum Cæsareanis adhuc digladiatos scribit; ut oleum igni addere stultum fuisset. Quod si invitis Saxonibus statuas has obtrusit Carolus in memoriam & trophæum victoriarum rerumque a se & Rulando in Saxonia gestarum, sicuti Duces & Proconsules Romanorum quandoque in devictis provinciis hujusmodi trophæa & lapides erexerunt contra solitam modestiam, quia P. R. nunquam hostibus domitis victoriam suam exprobrare solitus, teste FLORO *lib. 3. cap. 2.* tum non libertatis sed servitutis autoramenta atque oppressæ Saxoniæ indicia fuissent, neque dubitandum, quin Saxones arridente occasione impetum in eas fecissent, neque tam religiose tot annos conservassent; quomodo de *Pessinis* scribit PHILIPPUS COMINÆUS, cum in eorum libertatem Francorum Rex Carolus IX. consensisset, eos statim facto concursu leonem prægrandem columnæ marmoreæ impositum, quod est insigne reipubl. Florentinæ, demolitos regis effigiem in illam columnam collocasse, *lib. 1. de bello Neapol.* Multo minus credi potest ipsos Saxones statuas hasce in honorem Rulandi posuisse: quia moris est, ut benemeritis ac amicis collocentur statuæ, quod non Romani tantum, sed & aliæ gentes ita observarunt. Ingeniosa antiquitas felici invento ob bene merita vitæ statuas & imagines rependit, TERTULL. *de anim. c. 33.* quia ornamentis honorum incitatur æmulatio & virtus æmulata alitur exemplo honoris alieni, SYMMACHUS *lib. 10. epist. 25.* non inimicis, non hostibus, qualis Rulandus fuerat in bello Saxonico, Caroli M. Dux & miles eorum libertatem strenue oppugnans. Quomodo ergo libertatis indices sunt statuæ Rulandinæ, cum Rulandus ipse libertatis Saxonicæ ereptor fuerit? Quod si libertatum ac privilegiorum a posteris demum Impp. civitatibus Saxonicis indultorum symbola esse debent, tum sane nulla probabilis ratio reddi potest, cur non illorum Impp. veluti Ottonum, Hinricorum, Fridericorum titulus & nomen statuis illis potius præfixum sit, quam Rulandi peregrini inimici, etiam dudum mortui; quod fieri quidem nequidem sine injuria & ingratitudinis nota poterat, quæ tanta est, ut negans caussam beneficii illud omittat *juxta Dd. in l. 51. dubitatur §. 1. ff. de fideicommiss.* ut valde sit ridiculus Rulandus Bremens. dum in clypeo suo rhytmis insulsis & ineptis præfert, se libertatis ac privilegiorum ab aliis etiam principibus ac posterioribus Impp. urbi Bremensi concessorum indicem esse. Quomodo ergo Caroli M. tempore collocatus esse potuit colossus iste? nisi forte spiritum Peithonicum eum habuisse & futura præsciviſse dicas? profecto illorum historicorum, qui has aniles nænias in litteras retulerunt, nos miseret; cum nullam erroris sui excusationem multo minus probabilitatis caussam afferre possint.

Rulandi interitus in Hispania.

Brotuffi contradictio.

Carolus statuas antiquas in Saxonia dejecit.

Statuæ quandoque victoriæ monumenta,

item servitutis indicia.

Statuæ invisæ demolitio.

Statuæ amicis non hostibus ponuntur.

Rulandus Saxonum hostis.

Rulandus Bremensis posteriorum privilegia sibi arrogans.

SECTIO XIX.

Rulandi res gestæ multis fabulis involutæ.

Existimamus autem primos hujus commenti de statuis Rulandinis autores Italis ac Gallis in fingendo nihil concedere voluisse. Nam cum de Rulando pauca prodiderint veri historici, ut propterea majorem diligentiam ab ipsis requirat REINECCIUS *in comm. ad poet. anonym.* tum de eodem aliquot plaustra fabularum a Romanis in litteras relata sunt; quo in genere cæteris ingeniosior JOANN. TURPINUS *archiepiscopus Remensis a Justo* REUBERO editus, ut eum nugatorem & fabulatorem non immerito vocet FRANC. HOTOMANN. *in Franco-Gallia c. 5.* neque dissentit MARQ. FREHER. & REINER. REINECC., ille *in origin. Palat.* hic ad annales Caroli; adde JANUM DOUZAM in hist. *Holland.* UBBON. EMMIUM *de libert. Frisior.* De eodem sic scribit *Robertus Gaguinus*: quæ a Turpino Remensi plurima produntur, ea permultum audaciæ Græcanicæ habere mihi videntur: figmentis enim similia per poesin excogitata esse crediderim *lib. 4. de reb. gest. Franc.* Consentit CÆSAR BARON. *in annalib. eccles. ad a. 778.* De qua quidem historia, inquit, vel nimia brevitate ab Eginhardo contracta, vel sub nomine Turpini archiepiscopi Remensis nimia fabulositate producta nihil præterea tutum est adserere. Quam turpiter ab hoc

De Rulando pauca proferuntur.

Jo. Turpinus.

Baronii judicium.

hoc Turpino decepti ſint ſcriptores rerum Hiſpanicar. demonſtrat idem *Baronius* ad ann. 812. ubi dicit oportere eos, qui has ſabulas conciliare nituntur, ſuis divinationibus adjicere, ut pariter affirment, Rulandum & cæteros eos ſocios bis occiſos mortuosque eſſe, quod ipſum etiam de *Brotuſſii* opinione dicendum eſſet: eoque non mirum, ſi diverſis in locis Rulandi ſepulcra monſtrentur: nam Elavienſes eum apud ſe & natum & ſepultum volunt, SABELL. *lib. 8. Ennead.* idem Arelatenſes contendunt, SCHROD. *in hiſt. tot. orbis terrar.* Gladius Rulandi in oppido S. Dionyſii prope Lutetiam monſtratur, cum eum una cum cornu eburneo in coenobio S. Romani Burdegalæ ad ſepulcrum Rulandi ſuſpendiſſe dicatur Carolus, LINDENBR. *in chron. Car. fol. 269.* Verſus, quos epitaphio Rulandi Carolus fecerit, recitant ex *Turpino* PHIL. MELANCHT. *lib. 4. chron.* LINDEB. & WAGENER in *chron. Carol. M.* Addendum his aliud commentum de ſtatura Rulandi inſolita, quam tamen intra famam nominis fuiſſe experimento invenit Franciſcus primus Rex Galliæ, quando aperto monumento arma ejus induit, ex eisque ſtatura corporis non multum a Rulando ſe ſuperari deprehendit, ex *Camerar. in ſuccif. comment. ad Solin. c. 3.* quam hiſtoriam latius exponit HUBERTUS THOMAS LEODIUS *de orig. Palat. in append. Freber.* Et ſimilem de Sigfridi gigantis oſſibus Wormatiæ a Friderico tertio inquiſitis refert MARQ. FREHER. *Part. 2. orig. Palatin. 13.* ut jam liquido conſtet, paria narrationibus Lucanicis eſſe, quæcunque de illo Sigfrido & Rulando Bremenſi ineptorum rumoribus jactata, ab ineptioribus unquam credita fuerunt, ait veriſſime Freherus: & magis ridiculos eſſe illos, qui ſtatuas haſce Rulandinas ad menſuram proceritatis Rulandi formatas eſſe impudenter mentiuntur. Auxerunt hæc inventa Turpini Itali illi, qui Romanzi vulgo dicuntur quos deſignat *Busbequius in ep. I* ubi Rulandi famam etiam in Turciam ad Colchos usque delatam ſcribit; de Rulando, inquit, multa narrant prodigioſa & plura, quam noſtri talium fabularum architecti, Romanzos tecte denotans. Sed & apud Turcas virtutem Rolandi deprædicari ſcripſit *Chalcocondyl. lib. 2. de reb. Turcic.* ut non mirum ſit, ſi in Saxoniam quoque pervenerit.

Verſus Rulandi ſepulchro inſcripti.

Rulandi ſtatura fama minor.

Freberi judicium de fabulis Rulandiis.

Narrationes Lucanicæ de Rulando.

SECTIO XX.

Vera coloſſorum Rulandinorum origo & cauſa.

Statuæ bene meritis poſitæ.

Vera autem ſtatuarum Rulandinarum cauſa fortuita occaſione orta eſt ac ſuccedente tempore aliud intendere coepit; ſicuti enim apud Romanos more a Græcis accepto bene de republica meritis viris ſtatuæ in foro honoris & gratitudinis ergo poſitæ, de quibus *Dd. in l. 2. ſſ. 43. ff. de orig. Jur.* PETR. GREGOR. *Tholoſ. l. 12. de republ. 13.* CÆL. RODIGINUS *lib. 29. elect. antiqu. c. 24.* ita apud ipſos quoque Saxones poſteriores invaluit, ut Impp., a quibus jura civitatum accepiſſent, in urbibus ſtatuæ ponerentur. Initium fecit Magdeburgum urbs, quæ ab Ottone II. jure municipali aucta ejus honori & memoriæ ſtatuam in foro collocavit. De quo facte ſic diſſeritur in jure Saxonico: Et hæc eſt generalis omnium libertatum Magdeburgenſium confirmatio per Ottonem Rufum facta omniaque Magdeburgenſium jura ex eo dependent. Unde in teſtimonium hujus Magdeburgenſes habent inſignium ſeu ipſius effigiem ſculptam in foro ſtantem una cum electoribus Imperii, quæ pro ornamento civitatis ſervatur. *text. & gloſſ. ad art. 10. Weichbild.* ecce, quam non poſſit origo harum ſtatuarum altius quam ab Ottonis II. temporibus deduci. Privilegium hujus Ottonis II. de anno 978. exſtat apud GOLDASTUM *tom. un. conſt. fol. 225.* in quo Magdeburgenſibus confirmantur omnes libertates & privilegia ab Ottone M. conceſſa, quorum caput erat, quod civitatem Magdeburgenſem jure municipali inſtituiſſet ad utilitatem regionis Saxonicæ, vid. tamen CONRING. *de orig. jur. Germ. p. 5. & de urbibus German. ſſ. 71.* CRUS. *de præcedent. p. 234.* GRYPHIAND. *d. l. p. 127.* Hoc exemplum primariæ civitatis Saxonicæ, ut vocatur a *gloſſ. ad art. 10. Weichbild.* ſecutæ aliæ civitates in eodem jure municipali fundatæ, ipſæ quoque ſtatuas ſimiles fundatoribus ſuis collocarunt, neque enim obſcure coloſſi iſti Impp. ac principis una manu gladium altera clypeum tenentis effigiem repræſentant, quales & Brunſwigæ & Magdeburgi aliisque in locis prope curiam plures conſpiciuntur. Verum ſuccedenti tempore factum eſt, ut certæ quædam urbes Saxonicæ coloſſum hunc in foro illuſtri ac conſpicuo poſitum tamquam certi juris & privilegiorum indicem ſuſpicerent, & adorarent. Quales ſunt hodie Magdeburgum, Brandeburgum, Zerbeſtum, Northuſium, Halberſtadium, Hala, Brema; in quibus etiamnum ſtatuæ Rulandinæ perdurant, ſed nullibi magis in pretio habitæ, quam Bremæ; quæ ſtatua nihil aliud eſt, quam quod in jure municipali *Weichbild* dicitur, ut Weichbildum & Rulandum ſynonyma eſſe tuto aſſerere liceat, vid. *aſſert. libert. Bremenſ. p. 523. Gryphiand. Weichb. p. 71. 72.* Neque aliam Weichbildi etymologiam quisquam facile reddiderit: Nam quod *Jo. Sibrandus in comm. ad ſtatut. Lubec. part. 1. ſect. 2. n. 6. Wickbeld* ex *Wick* & *beld* componit, ut ita loci amoenitatem *beld* deſignet, quaſi dicas bellum vicum, id ejusdem aſſertione deſtruitur, quando dictionem Wickbild ex veteri Saxonum idiomate conſtare dicit; quis autem beld eo ſenſu a Saxonibus unquam uſurpatam audivit, quod vocabulum Latinis hactenus relictum novimus; & quid opus eſt inuſitata compoſitione ex altera latina, altera germanica voce, cum publice etiam infantibus nota ſit ſignificatio vocabuli bild, pro imagine ac ſtatua; ut non ſit dubium quin hæc terminatio beld ſit corrupta & depravata, ut & illa Wickbold, quia in antiquis & ſinceris litteris ſemper Wickbild ſcriptum legitur.

Ottonis II privilegium Magdeburgenſibus conceſſum.

Rulandi ſtatua Cæſaris effigiem repræſentans.

Civitates ſtatuas Rulandinas habentes.

Weichbildi derivatio.

SECTIO XXI.

Weichbildi ſtatuæ quare Rulandi dicti ſunt?

Quomodo ergo inquis Weichbildi Rulandi dicti ſunt, cum Rulandus eo tempore jam dudum defunctus fuerit? id fortuita occaſione factum eſſe diximus. Cum enim Weichbildi nomen ab imperita plebe non ita facile exprimi poſſet, coepit is a magnitudine & proceritate Rulan-

Weichbildus quare Rulandus dicitur?

Rulandus vulgo appellari, quando Germani vastum & procerum hominem conspicientes magnum Rulandum dicimus GRYPHIAND. WEICHB. *cap. 73. n. 7.* cui assertioni D. HENISIUS *in thesaur. lingu. germ.* adstipulatur in verbo *Bild. Ein grob Bildniß, ein Ruland, so drey oder mehr-malen so groß als ein menschlich* Statur. Statura ingentis magnitudinis, item *ungeheuer Bild, groß, so man für einen Thurn oder Riesen erachten mögte.* Roland, colossus. Ita in Sicilia mons propter vastitatem Rulandus dictus, de quo GOTFRIDUS VITERBIENSIS part. 17.

Rulandi nomen de quovis vasto homine.

Rulandus mons Siciliæ.

Mons ibi stat magnus, qui dicitur esse Rulandus.

Sic Gandavi in altissima turri Belfort pendet campana magna de 11000. libr. dicta *der Roland*, ingentis clangoris, cum hac inscriptione:

Roland, Roland als ich klappe, dann ist Brand
Als ich luye, dann ist Oorlog in Flanderland.

Ita de Alberto Duce Saxoniæ PAULUS LANGIUS: quibus ex rebus, inquit, non injuria alter Carolus M. & Teutonicus Hector germanicusque Rolandus appellatus est *in chron. Citicensi* ad a. 1455. Ita apud Italos Rulandi nomen de viris heroicis frequens est, ut apud quosdam in gentilitium nomen transierit. Neque deficiunt exempla, apud alios quoque populos, ita enim apud græcos Herculei, apud Judæos Simson pro quovis forti & robusto κατ' ἐξοχὴν acceptus est. Exstat proverbialis hyperbole apud Lucianum κολοσσὸς ὁ μεγαλὸς, colossi magnitudine in homines prægrandi corporis mole. Et ab Hunnis olim Germaniam incursantibus superest vox *ein Hune* de gigantæo homine; neque enim dubium, quin fama nominis Rulandi vel per fabulas in Germaniam & Saxoniam propagata sit, cum ad alias quoque remotiores regiones longe lateque sparsa sit, & nota est consuetudo Gothorum, Longobardorum, aliorumque Germanicæ originis populorum fortium virorum res gestas cantilenis rhythmicis includentium atque in conviviis cum voluptate decantantium, ut testatur JORNANDES, quibus etiam Carolum M. delectatum scribit AVENTINUS *lib. 1. annal. Bojor.* LINDENBR. *in chron. Carol. fol. 90.* Neque hodie omnino defecerunt; sicuti de laudibus Theodorici Veronensis Gothorum regis superest cantilena *vom Dietrichen von der Bern*; de qua THEOD. *a* NIEM *lib. 3. de schisma. 8.* Ex hac ergo fama, si Rolandi statuas indigitatas dicamus, nemini mirum videri debet, cum sciamus, quam multa temere & sine ullo autore confingantur, a vulgo quippe, quod a vera rerum gestarum origine & causis plerumque ad fabulas & anilia figmenta delabitur: cujus rei cum plura exstent exempla, unum & alterum retulisse sufficiat. Quis nescit, Brunswigæ de Henrico Leone Duce Brunsvicensi multa fabulosa & incredibilia referri & confirmari a vulgo hoc argumento, quasi eorum omnium leo æneus & basi lapideæ in burgo sive arce Tanqvarderode impositus sit testis & index, quæ fabula unde nata sit, eleganter exponit & refutat post TRITHEM. *in chron. Spanheim.* CRANTZ. *lib. 6. Sax. 34.* SPIGEL. *ad l. 7 Gunth.*, BUNTING. in chron. *Brunsv.* Hæc narratio, inquit *Cranzius*, quam puerilis & delira sit, facile intelligunt viri sensati. Peregrinatus est Leo, sed quoniam ignorabat fabulator, quo pervenerit, comminiscitur indoctam fabulam de leone & dracone; ignorabat iste asellus bipes, quicunque fabulam primus commentus est, hunc principem ab initio ætatis suæ cognomentum accepisse Leonis, quo modo pater ejus Catuli, & Albertus Marchio Ursi, &c. Hæc ille. Quæ de Rulandi Bremensis quoque fabula non immerito usurpaveris. *Zeduttæ* sive *Joduttæ* statuæ origo verissima hæc est, quod Saxones, quum sub Lothario Duce insignem victoriam prope *Welphesholtz* sylvam Helmstadiensi Academiæ vicinam ab Henrico V. Cæsare obtinuissent, statuamque in rei gestæ & occisorum miserabilem interfectionem Zedut sive Tiodut clamantium memoriam collocarunt, quam posteri pro Dea Saxonum adjutrice suspexerunt & coluerunt, quousque Wernerus Præsul Merseburgensis tandem dissiparet CRANZ. *l. 5. Saxon. c. 36. & lib. 6. Metrop. 7.* LINDEBR. *in chron. Carol. fol. 79.* & simile quid *capellæ sanctæ Opis*, vulgo *Sunt Hülpe*, prope Dipholdiam contigit, de qua REINECC. *ad annal. Carol. fol. 22. & in fin.* Usque adeo vulgus veras rerum causas & originem amittit & pro iis meras fabulas comminiscitur. vid. REINECC. *hist. Jul. part. 3. fol. 397.*

Cantilenæ veterum heroum in Germania frequentes.

Cantilena de Theodorico Veronensi.

Fabula de Henrico Leone.

Cranzii sententia refertur.

Zeduttæ statuæ origo.

Zedutta statua destructa.

Capellæ S. Opis origo.

Rulandi nomen Italis frequens.

SECTIO XXII.

Vera Weichbildi & Rulandi significatio, & quando orta?

Est autem Weichbildi vox magis nota, licet a paucis recte perpendatur: proprie enim nihil aliud denotat, quam vici seu oppidi statuam vel effigiem, sicuti ipsum nomen arguit. Saxones enim vici nomen a Latinis acceptum ad suum idioma, ut multa alia detorquentes, *Wig* protulerunt; inde plures civitates, ut *Braunschwig, Osterwig, Schleswig, Bardewig* &c. denominatæ, item propria nomina Saxonibus usitata, ut *Wiprecht, Wigrecht, Wichmann, Hartwig* &c. Agnoscit hanc notationem *autor juris municipalis tit. 1. & 6. Weichbild*, it. OTTINGER *de limit. & fin.* licet subinde fabulosa quædam immisceat ille, & confirmat latius HENR. MEIBOM. in *histor. Bardowici*: Metonymice translata est Weichbildi appellatio tum ad ipsum territorium, tum ad jurisdictionem, tum denique ad jus municipale quod illo in judicio viget; cujus translationis simile exemplum prostat in vocabulis jurisdictionis & judicii, modo pro loco judicii modo pro potestate TOBIAS PAURMEIST. *l. 1. de jurisd. Imp. c. 1. n. 14.* MATTH. STEPH. *l. 1. de jurisdict. c. 1. n. 14.* Quod ut clarius pateat, apponemus explicationem ex vocabulario juris Saxonici antiquo: *Weich heißt so viel nach alten Sachsischen Teutschen als* Jurisdictio *Gericht und Gebieth; Weichbild heißt so viel, als weit ein Gebieth um eine Stadt ist, und ist vor Alters dabey bedeutet gewesen, daß man ein groß holtzern Creutz in einer Stadt oder Flecken hat aufgerichtet darauf ein Hand oder Schwerd aufgesteckt zum Zeichen der Gericht über Hals und Hand.* Eandem sententiam in thesaurum suum linguæ Germanicæ transtulit *Henischius* in verbo *Bild, Weichbild, Flur, Gewercke, Zwingbahn, Creyß-Pflege,*

Weichbildus proprie vici statuam denotat.

Jurisdictionis vocabulum diversimode acceptum.

Crux lignea in loco judicii posita.

Pflege, Termineу, dioecesis, districtus, item *Weichbild* quasi *Weitbild, denn das Recht gehet so weit als das Gebieth.* Territorium olim significari solitum lignea cruce in finibus, cui imposita manus & gladius in signum *der Gericht über Hals und Hand.* Hæc ibi. Consentit glossator Juris Saxonici *durch eine Grafschafft verstehet man so weit des Richters Gebieth herstreckt als wie ein Stadt-Gericht, das wir sonsten heissen Weichbild Recht seyn mag. Art. 12. lib. 2. Land-Recht.* Eodem modo in statutis Bremensibus *Weichbild* passim pro territorio urbis accipitur, *binnen unsern Wickbilde ut art. 12. 14. 18. 22.* & pass. & in transactione quadam civitatis Brunsvicensis de a. 1445. apud KNICH. *post encyclopæd.* indigitatur Senatus *in allen fünff Wickbildern* in tot enim partes distribuitur civitas Brunsvicensis, *statut. Lubec. apud Sibr. part. 1. Sect. 9. Das Lubische Recht erstrecket sich in unser Stadt und in den Stædten dar Lübisch Recht gebrauchet wird, so fern als ihr Weichbild Feldmarck und Landwehr reicht.* Ex quibus omnibus colligi potest, antiquius quidem esse Wichbildi nomen, quam Rulandi; illud tamen post A. C. 1200. demum coepisse: circa hoc enim tempus sub imperio Friderici II. vixit nobilis *Ecco a Repkaw*, qui speculum Saxonicum collegit, test. PETR. HEIG. *lib. 1. quæst. Sax. 8. n. 48. & seqq.* in cujus textu cum nulla Weichbildi fiat mentio, multo minus in antiquoribus historiis aut privilegiis, sed tantum in glossa; sequitur, nomen cum re ipsa invaluisse illo temporis intervallo, quod inter textum & glossam intercedit. Glossator enim idemque collector juris Weichbildi *Burgardus a Mangelfeld* non Ottonis II., ut erronee putavit CRANZ. *lib. 2. Saxon. 21.* sed Ottonis IV. cancellarius fuit, ut demonstrat GOLDAST. *in præfat. Speculi Sax.*; a cujus Imperio Juris Weichbildici concessio in bullis Impp. reperitur: Rulandi vero mentio circa tempora Caroli IV. Deinde ex supra citato vocabularii Saxonici loco apparet, olim in loco judicii crucem ligneam positam fuisse in signum Jurisdictionis; pro qua postea Weichbildus in civitatibus successit; quem vulgus, ut dictum, ex re ipsa Rulandum vocavit; alioquin mentionem hujus antiquarius non omisisset, si suo tempore nota vox Rulandi in judicio fuisset.

Graffschafft pro territorio accipitur.

Weichbild pro territorio.

Juris Lubecani amplitudo.

Ecco a Repkaw compilator speculi Saxonici.

Weichbildus loco crucis.

SECTIO XXIII.

Ratio, quare statua in loco judicii olim posita.

Quamvis vero consuetudo ponendi sive erigendi signum aliquod in loco judicii antiquissima fuerit, tamen temporis & imperii vicissitudine subinde mutata est. Sicuti enim veteres Saxones ante Carolum M. florente adhuc ipsorum aristocratia ad decidenda negotia communia litesque finiendas certum *conventum* quotannis in media Saxonia juxta fluvium Weseram in loco *Marcklo* appellato egerunt, teste WERNER. ROLEVINCK *in laudib. antiqu. Saxon. l. 1.* Et Frisii olim in campo Ubstalbomo dicto prope Auricam comitia sua celebrarunt, UBB. *Emm. lib. 2. rer. Frisic. decad. 1.* ita post a Carolo M. devicti Saxones ad *mallum* sive placitum comitis ac missi comparere tenebantur, ubi regis nomine ipsis dicebatur, FREHER. *de orig. Palat. l. 1. c. 5.* LEHMANN *in chronic. Spirens. lib. 2. c. 10. & passim.* utrumque vocabulum licet in *legibus Longobardicis* exstet, *lib. 2. tit. 42. & sqq.* Germanicum tamen est, quorum istud a *Platz* sive loco, illud a *Mahl* sive signo derivatur, inde composita *Mahlschatz* pro arrha *Gloss. ad art. 22. lib. 1. n. 10. Mahlstein, Mahlbaum*, pro limite, *art. 50. lib. 2. Land-Recht Handmahl* pro signo judicis, *art. 26. lib. 3. Land-Recht; Bawermahl* pro jure civitatis in *resp. Magdeb. part. 1. c. 1. dist. 15.* Atque hic locus malli sive judicii publici ita certus erat, ut judex illum mutare non posset, quia tenebatur judicium pronunciare *an der Rechten Dingstætte, art. 61. lib. 3. Land-Recht.* Illic in loco editiori collocatum erat tribunal pro judice, cui in quatuor bancis sive scamnis, quadrato ordine circumsedebant scabini sive adsessores, inde dicta est sedes scabinalis *Schoepffenstuhl, Dingstuhl. art. 12. lib. 1. Land-Recht. chron. Hass. lat. MSCt. P. 5. c. 10.* inde itidem phrasis illa *in gebegeten Dinge, binnen vier Bæncken*, judice pro tribunali sedente agere. Muniebatur autem judicium sive *mallus publicus* banno, quod proprie nihil aliud significat, quam *vexillum*; ita dictum a *bando* sive fascia: unde paucis litteris mutatis ortum est hodiernum *Fahnen.* Ita bandum & bandophori apud PROCOPIUM *lib. 4. hist. Gothic.* ita Tatilo Dux Rudolpho Herulorum Regi vexillum, quod bandum appellant, ejusque galeam abstulit, PAUL. DIAC. lib. 1. *de gest. Longob. 20.* In antiquis legibus Frisicis: *Nen Huskerel mach effte schal anbinden Heerfahne, dat is ein Banner.* Improprie bannus & bannus regius ad mulctam, sub qua mallus habebatur & ad jurisdictionem & Imperium translatus est, ut paulo ante de Weichbildo dicebamus. Præsidebat autem huic judicio *comes sive judex*, quia judices antiqua lingua Saxonica *graviones* dicebantur, BROTUFF *lib. 1. chron. Mersch. 9.* HEIG. *part. 1. quæst. 2. n. 44.* TOB. PAURMEIST. *l. 2. de jurisd. Imper. c. 10.* clarius *Gloss. ad art. 12. l. 2. n. 8. Land-Recht. Graffe ist nach alten Sæchsischen Deutschen so viel als ein Richter*; & quidem Caroli M. tempore una & eadem judiciorum forma observata est, ex quo multiplex differentia potestatum & dignitatum nondum invaluerat; singulis enim pagis, singuli fere comites præsidebant. *Poet. anonym. in annal. Carol. lib. 1.*

Sed variis divisa modis plebs omnis habebat
Tot pagos, quot pene Duces. &c.

Duces vocat, qui BEDÆ *lib. 5. histor. eccles. c. 11.* & autor de jur. Imp. *Satrapæ* aliis primores ac nobiles Saxonum dicuntur, MEIBOM. in *vind. Billingian.* fol. 17. verum ex quo civitates & oppida condi & exinde comitum dignitas & differentia in *Landgravios, Burggravios, Gougravios* &c. de quib. *gloss. ad art. 53. lib. 3. Land-R. n. 2.* multiplicari coepit, exinde factum putamus, quod in celebratione judiciorum diversa forma observata ac diversa insignia adhibita fuerunt. In pagis enim secundum jus provinciale *nach dem Land-Rechte*, in burgis, oppidis, ac vicis secundum jus municipale *nach Weichbilden-Rechte* judicabatur. Illic judicium in campo ac loco patente & sub dio celebrabatur, ad tollendam scilicet omnis metus ac terroris suspicionem WESEMB.

Conservetudo erigendi signum in judicio.

Conventus veterum Saxonum annuus.

Conventus Frisiorum.

Mallus quid?

Composita a Mahl.

Locus judicii publici certus.

Sedes scabinalis, Schöpffen-Stuhl.

binnen vier Bæncken, quid sit?

Vexillum, bandum, Fahnen.

Bannus quid sit?

Judex olim gravio.

Comites Satrapæ dicuntur.

Comitum dignitas distincta.

Differentia judicandi secundum diversa jura.

Judicium provinciale

sub dio celebratur.

SEMB. *de feud. cap. 17. n. 7. Henn. Goeden. cons. 19.* MATTH. STEPH. *lib. 2. de jurisd. part. 1. cap. 7. membr. 6. n. 14.* LEHMANN *lib. 2. chron. Spirens. 31. vid.* GRYPHIANDR. *tract. de Weichbild. Sax. cap. 76. n. 1.* & seqq. & concordat jus feudale Saxonicum: *Lehn-Recht soll nicht in einem verschlossenen Orte gehalten werden* c. 35. §. 19. & c. 65. *Lehn-Recht.* Cum jure Weichbildico processus in oppidis in foro prope vel subter curiam celebraretur, ubi etiamnum remanet fornix judicialis subter curiam judicio deputatus; vulgo *ein Schwickbogen*, *Wighogen* appellatur, *vid. gloss. ad dict. art. 10. Weichbild:* quo alludunt Magdeburgenses *in resp. Spec. Saxon. subject. part. 1. c. 2. distinct. 17. Der Burg-Graff* (judex civitatis) *soll sein Ding zu rechter Zeit und in rechter Dingstætt, binnen der Stadt-Mauer, da das gemeine Ding-Haus ist mit dem Schuldheiß und Schöpffen begen.* Sed & in judicio provinciali crux lignea seu pertica prope tribunal erecta remansit, pro qua in oppidis postea invaluit Wichbildus sive Rulandi statua. Hoc signum erat malli publici, ad quod judex & scabini jurare tenebantur; inde locus judicii dictus est *ein Handmahl, das ist sein ordentliche Gericht daher genennet, daß man mit der Hand dazu schweret,* ut explicat *gloss. ad art. 51. lib. 1. Land-Recht.* Atque hoc ita se habere aperte indicat Rulandus Halensis, in medio foro ita caveæ inclusus, ut non semper pareat, nisi cum criminalia judicia intra ejus cancellos exercentur; tunc enim vetus judiciorum forma manifeste agnoscitur, & fortasse ex eadem caussa descendit, quod Erfurti in medio foro separatim carnifex habitat, ut scilicet præsto sit executor sententiæ ad statuas Rulandinas latæ.

fornix judicii Weichbogen.

ad signum malli judex jurare tenebatur.

SECTIO XXIV.

Insignia quare in judicio suspensa fuerint?

Insignia Magistratus, terroris ergo.

Apud Romanos quoque certa quædam insignia Magistratus in judicio præsto fuisse discimus *ex l. 1. §. 5. ff. de post.* idque terroris ergo: unde etiam potestatis ac dignitatis symbola dicuntur *a. F. F. in C. unic. quid sit invest. 2. Feud. 2.* HOTOM. *in disp. feud. c. 22.* Quod ipsum etiam apud Germanos mansit ita. Insignia partim communia, partim propria erant, *clypeus* illibatam generationem sive nobilitatem designabat, quia nemo comes vel judex esse poterat, nisi scutum militare haberet, ut supra dictum. Sed nec Scabini esse poterant, nisi nobiles essent *artic. 33. Weichbild.* COLER. *lib. 2. de process. exec. l. n. 127.* majores ac generationes suas illibate demonstrantes, *die ihr vier Ahnen beweisen kunten art. 51. lib. 1. Land-Recht.* dicti etiam banniti, id est banno ac clypeo investiti, *art. 12. lib. 2. Land-Recht.* item Vassi sive vasalli *lib. 2. leg. Longobardic. tit. 42.* quod mallo comitis necessario interesse cogerentur, de quibus quædam annotat REINECC. *ad annal. Carol. fol. 62.* quo pertinet illud Frisiorum privilegium; quo illi ad scabinatum habilitantur in legibus Frisicis: *Ein jewelike Frese besitte frye Stuele, und hebbe frye Sprake, Land-Recht und Landkehre*; pertinet item consuetudo convocandi vasallos per erectionem clypei, quasi per clypeum feudi sui admoneantur. De qua OTTO FRISINGENSIS: Est consuetudinis regum Francorum, inquit, quæ & Teutonicorum, ut, quotiescunque ad sumendam Imperii coronam militem ad transalpizandum coëgerint, in campo Roncaliæ super Padum mansionem faciant; ibi ligno in altum porrecto scutum suspenditur universorumque equitum agmen feuda habentium ad excubias proxima nocte principi faciendas per curiæ præconem exposcitur, *lib. 2. de reb. gest. Frider. cap. 12.* & GUNTHER. *in Ligurin. lib 2. in princ.*

clypeus quid?

Scabini nobiles.

Frisiorum privilegium.

consuetudo convocandi vasallos per clypeum.

clypeus feudum denotat.

ligno suspenditur alto
Erecto clypeus; tum præco regius omnes
Convocat a Dominis feudalia jura tenentes.

Hoc ergo scutum bellicum sive clypeum qui habebat atque a Domino suo infeudatus erat, poterat scabinus esse ac in judicio sententiam invenire, excepto de feudo vexilli *tit. 38. §. 11. Lehen-Recht.* Quod si cui super eo status quæstio moveretur provocabat ad locum judicii, *müßte beweisen seine vier Ahnen und sein Handmahl, das ist sein ordentlich Gericht, art. 51. lib. 1. Land-R.* Et potest esse, quod etiam comitis ac scabinorum insignia in judicio suspensa fuerint subter Imp. ordine dignitatis semper observato; quo pertinet exaltatio scuti *art. 1. ibi §. 7. Lehn-Recht,* cum nobilis in comitem, comes in Ducem promoveretur, ut Hermanno Billingo contigit, de quo MEIBOM. *in vind. Billing.* Gladii autem traditio quamvis symbolum esset regni traditi juxta FRISING. *lib. de reb. gest. Frid. cap. 5.* tamen plura insignia conjunctim requirebat, nempe sceptrum & coronam; ita enim Carolus M. Ludovicum filium de regno investivit per spatham, quæ vocatur S. Petri, fustem & coronam ex auro & gemmis. AYMON. *lib. 5. histor. Franc. cap. 36.* alioquin gladius proprium est militum insigne, *§. nullus rusticus, de pace tenend. in usib. feudor. gloss. ad art. 27. lib. 1. Land-Recht.* item judicium, qui bannum criminalem habent, *1. art. 8. Weichb. itaque gladius* in judicio suspensus *ist ein Zeichen der Gericht über Hals und Hand,* ut habent vera vocabularia antiqua, sicuti etiam apud Romanos merum Imperium gladii potestatem designabat. *l. 3. ff. de jurisd.* ita de Caroli M. judicio TURPINUS: ante ejus tribunal spatha nuda modo Imperiali ferebatur, de quo plura apud AYMON. *l. 4. cap. 30.* HOTOMANN *in Franco-Gall. cap. 13.* HINCMARUS REMENS. *epist. 3. c. 35.* quo etiam constitutio criminalis Caroli V. tendit: *der Richter soll an der Gerichtss-Stætt sitzen, seinen Stab oder blosses Schwerd nach Landlichen Herkommen eines jeden Orts in den Hænden haben in Nemes. Carol. cap. 82.* quæ omnia ad perticam vel Rulandi statuam appensa, indicio sunt judiciorum exercitia illo tempore ad nobiles & vasallos clypeo militari ac gladio ornatos, non vero ad privatos sive rusticos sive cives pertinuisse, ut & superius dictum.

Insignia in judicio suspensa

Regni traditi insignia.

Gladius in judicio denotat merum imperium.

SECTIO XXV.

Juris Wemici notatio, & differentia.

Ceterum vexilla proprie ad Duces pertinebant, quippe quibus integræ provinciæ denotabantur. Ita enim OTTO FRISING. *d. l. 1. c. 5.* est consuetudinis, inquit, ut regna per gladium, provinciæ per vexilla à principe tradantur: quod ita in *Guidone* & *Petro* Daniæ fratribus

Vexilla provincias denotant.

fratribus observatum, GÜNTH. *lib. 1.*

Ergo ubi vexilli partem quam diximus ille,
Hic autem gladio regnum suscepit ab illo.

Inde dictum feudum vexilli *Fahnlehn*, cujus possessor non nisi princeps erat. *art. 52. l. 3. LandR. tit. 38. §. 8. Lehn-R.* cujusmodi in judicio nemo præsidere potest, nisi sit cum vexillo investitus. *d. tit. 38. §. 11. Lehn-R.* Hinc verisimile est appellationem traxisse *das Vehmen-Recht* it. *das Vehmen-Gericht;* quod hodie postquam degeneravit, Westphalicum sive occultum dicitur. CRANZ. *lib. 2. Sax. c. 21.* nimirum à vexillo, ut pro *Fahnen-Recht* dictum sit *Vehmen-Recht* sive ab hominibus id exercentibus, quos vexillo investitos esse oportebat, sive etiam à libertate, cujus index est vexillum. Ita in nundinis signum *die Frey-Fahne* libertatem emendi & vendendi denotat. inde etiam judicium hoc *Freystuel, Freyding, Frey-Gericht*, sicuti ipsi judices *Frey-Graffen* appellantur *in reform. Frid. III. Fft. ed. a. 1442.* TOB. PAURMEIST. *lib. 2. de jurisd. imp. 10. n. 4.* Quamvis vero hujus judicii institutio ad Carolum M. quoque referatur ab ÆNEA SYLVIO *in descript. Europæ c. 29.* quem sequuntur FELIX FAB. *lib. 1. hist. Sveviæ c. 7.* AVENTINI. *l. 4. annal. Bojor.* WERNER. ROLEWINC. *l. 2. de laud. antiq. Sax. c. 6.* CRANZ. *l. 2. Sax. 21.* MUNST. *l. 3. Cosmograph.* CHYTR. *lib. 3. Sax.* LINDENBR. *in chron. Carol. fol. 210.* MARQV. FREHER. *in tract. de jud. Westphal.* Tamen id de vero ejus usu intelligendum est, non de ejus abusu, qui à Caroli IV. demum temporibus invaluit; neque enim Carolus M. aliam judicii formam in veteri quam in nova Saxonia constituit, sicuti videre est ex diplomate Imperiali de a. 788. cujus sententiam (si modo genuinum est exemplar) ex archivis Tremoniensibus retulit HENRICUS MEIBOM. *in vind.* BILLING. *fol. 18.* Quapropter (inquit Carolus) in illa parte Saxoniæ *Trutmannum* virum illustrem, ibidem comitem ordinamus, ut resideat in curte ad campos, in mallo publico, ad universorum causas audiendas vel recta judicia terminanda, isque advocatum omnium presbyterorum in tota Saxonia fideliter agat, superque vicarios & scabinos, quos sub se habet, diligenter inquirat & animadvertat, ita ut officia sua sedulo peragant, &c. Non erat autem tum nota appellatio judicii Vehmici, quippe quæ postea demum invaluit, ex quo juris municipalis principalis differentia orta est; ut videatur Jus Vehmicum ad relationem juris Weichbildici dici, quasi illud sit jus provinciale, hoc jus municipale. Ita Ludovicus Bavarus a. 1232. Ludovico episcopo Mindensi, concedit *ein frey Hertzogthum in dem Stifft to Minden, und frey Gericht darinn to sittende in der Königes Bann nach* Vehmen Recht, *als in dem Lande Westphalen Recht ist an Werltlichen Gerichte*, ut habent verba diplomatis in tomo *Pistorii:* neque est, quod quisquam putet in sola Westphalia tantum hæc judicia libera vulgo *Freystühle* dicta fuisse, cum ex Caroli IV. bulla Theodorico III. episcopo Mindensi a. 1354. data constet, ea etiam in Ducatu *Ascaniæ* fuisse; & in dioecesi Moguntinensi superest territorium *das Frey Gericht*, ut ex hisce vocibus Rulandi

Vehmen-R. unde dictum.

Judicii Vehmici institutio.

Caroli M. judicii forma.

Trutmanni comitis institutio.

Vehmen-Recht & Weichbilds-Recht relata.

statua & sede libera, quæ Caroli M. ævo prorsus ignotæ fuerunt, liquido pateat, autorem diplomatis Henricani ad sua tempora respexisse, quibus hæc judicia per Saxoniam vigebant HAMELMANN. *de fam. emort. p. 40.*

SECTIO XXVI.

Per statuam Rulandi jus fori & mercatus designatur.

Esto autem, sint alicujus juris indices statuæ Rulandinæ, saltem de consuetudine: quod si lubet privilegium vocare, per nos licet. Quodnam id erit? ut liberales simus, duplex dabimus: primum est, quod per statuam Rulandi nihil aliud designatur, quam quod locus ille jus fori ac mercatus habeat, *habe Weichbilds-Recht*, quod illo tempore non minimum beneficium censendum erat; quia privatis non licebat forum condere, *ein Marckt hegen*; aut oppidum munire sine superioris licentia, eo quod jus condendi civitatem vel construendi mercatum ad regalia pertineat vid. FRITSCHIUS *de jur. nundinar. cap. 1. & 2. vid. assert. libert. reipubl. Bremens. p. 578. 559. 574. 766.* MATTH. STEPH. *lib. 2. part. 1. de jurisd. c. 1. membr. 2. n. 114.* TOB. PAURMEIST. *lib. 1. de jurisd. imp. 4. n. 2.* ubi ex *Dodechin. Abb.* inter regalia, etiam mercatus refertur. ANDR. KNICH. *in ep.* contr. DAUTH f. m. 97. Concordat *Jus Sax. art. 26. lib. 1. LandR. & art. 9.* WEICHBILD *gloss. ad art. 66.* lib. 3. *LandR.* n. 2. GRYPHIANDR. *de Weichb.* p. 263. *Auch mag man keinen Marckt hegen, ohne des Richters Uhrlaub: ja daß solches des Reichs Wille sey, soll der Kayser seine Rechte Hand zeichen*, (chirothecas) *dessen zu Uhrkund uff die Stadt dar senden:* quo pertinet illa Magdeburgensium mercatorum supplicatio ad Henricum Aucupem, de qua art. 9. *Weichbild:* item illa civium Lubecensium: Da nobis locum construendi civitatem, in loco, qui tibi placuerit, apud HELMOLD. *lib. 1. chron. Slav. 86. Spangenb. in chron. fol. 35. Schawenb. l. 1. c. 15.* ubi hæc habentur verba: *Er*, (Henricus Leo) *erlaubete den Bürgern zu Lübeck wieder zu bauen und gab ihnen viel* privilegia *dazu und versahe sie mit Müntz und Zollen u. Stadt-Recht.* Pertinent item varia Principum privilegia, in quibus hoc jus inferioribus conceditur. Ita Conradus II. a. 1038. archiepiscopo Hamburgensi dedit privilegium construendi mercatum in loco Heslingoa nuncupato, in pago Eilangoa (de quo MEIBOM. *de pagis antiqv. Saxon.*) eo tenore, ut Advocatus ejusdem ecclesiæ his diebus, quibus annuus mercatus inibi celebratur & confluentia populi maxima fieri solet, videlicet in festivitate S. Viti martyris potestatem habeat banno Regio constringendi omnes, qui illum convenerint ad omnem justitiam faciendam: telonium autem, inquit, & quicquid ad nostrum Imperiale jus pertinet eidem ecclesiæ concedimus; addimus etiam, ut potestatem habeat, si quando rei necessitas vel utilitas exposcat in loco *Staad* nominato (ubi hodie est *urbs Stadensis*) in prædio ecclesiastico mercatum ex integro construendi bannum & telonium nec non etiam monetam & quicquid inde regius reipubl. obtinere poterit fiscus, prælibatæ ecclesiæ concedimus. Idem privi-

Per statuam Rulandi, jus fori denotatur.

jus construendi mercatorum.

Chirotheca in signum concessæ.

Mercatus Stadensis concessus.

privilegium Henricus III. biennium post verbotenus confirmavit: eodem modo Fridericus I. a. 1155. Hermanno Constantiensi episcopo omnia ab antecessoribus Impp. Romanis in possessionibus, terminis, immunitatibus, mercatu, portu, telonio, ac cæteris justitiis collata ipsi confirmat *in antiqu. consit.* PISTOR. Idem Imp. Fridericus Casalensibus in Italia jus civitatis dedit, NATTÆ *consil. 636. n. 100.* sicuti Genuensibus id ademit apud GUNTHER. *lib. 9.*

Concessio Frider. Imp. juris civitatis.

Hoc tamen adjecto, ne claudere pergeret urbem,
Jussus ab incepto populus desistere muro.

Ubi JAC. SPIGELIUS *in not.* annotat, non licere ulli populo urbem constituere, nisi ex Principis autoritate: eleganter ARNOLD. KLAPMAR. *Brem. lib. 3. de arc. rer. publ. c. 7. 8.* Eoque cum Albertus Comes Mansfeldicus prope Islebiam vico cuidam jus civitatis concedere vellet, Cæsar Maximilianus a. 1514. per mandatum inhibitorium intercessit; sed & cives Gröningenses ideo indignationem episcopi Ultrajectini incurrerunt, quod sine ipsius licentia urbem suam moenibus cinxissent, usque adeo ut destructis novis operibus pristinæ conditioni restituerentur a. 1110. UBBO EMMIUS *lib. 6. rer. Frisic.* Omnium maxime ed notabile Ottonis M. privilegium de a. 966., in quo Adalgago archiepiscopo Hamburgensi licentiam concedit construendi mercatum in locum BREMUN nuncupato bannum & telonium nec non monetam totumque, quod inde regius reipubl. fiscus obtinere poterit, sedi Hamburgensi confert. Quin etiam (inquit) negotiatores ejusdem incolas loci nostræ tuitionis patrocinia condonavimus, præcipientes hoc Imperatoriæ autoritatis præcepto, quo in omnibus tali patrocinentur tutela & potiantur jure, quali cæterarum regalium institores urbium, nemoque inibi aliquam sibi vendicet potestatem nisi præfati Pontificatus, archiepiscopus, & quem ipse ad hoc delegaverit &c. Idem privilegium totidem verbis confirmavit Henricus II anno 1003. & post eum Conradus II. a. 1035. addens etiam tempora nundinarum; a lege inquit, ut bis in anno omnes, qui illuc causa mercandi veniunt, una vice septem dies ante Pentecosten, 2da vice similiter 7. dies ante festivitatem S. Wilehadi ibidem corporaliter requiescentis, annualem mercatum illic habeant. Bannum autem nostrum super omnes hos, illuc venientes, ut illic eundo & redeundo habeant pacem, facimus, eundemque bannum nostrum prædicto archiepiscopo (Biseliano) ob suum fidele servitium ea ratione concedimus, ut si, in hoc statuto tempore illuc venientibus aliqua temeritas evenerit, inde justitiam faciendi, neque Dux neque Comes neque aliquis hominum præter ipsum & suos successores licentiam habeant &c. Atque hoc etiam Fridericus I. ita confirmavit a. 1158., sicuti hæc omnia diplomata, quorum aliquot post HENRICI WOLTERI *chronicon MSCt.* reperiuntur, una cum aliis scriptoribus rerum Bremensium nuper edidit eaque illustri Comiti Oldenburgico Domino Anton Günthero inscripsit ERPOLD. LINDEBR. *Hamburgens.* ex quibus omnibus ad oculum patet, civibus tamen Bremensibus, quam aliis, hoc jus passive, non active competiisse ac liberum mercaturæ exercitium, h. e. *Bürgerliche Hanthierung, die den Städten zustændig seyn*, ut *explic. gloss. ad art. 666. lib. 3. Land-R.* non etiam jurisdictionis exercitium concessum. Hoc enim ad episcopum ejusque advocatum aliosque Duces & comites, in quorum territorio constituebantur, pertinebat, ut postea pluribus probabimus. Hinc est, quod ut plurimum Weichbildi nomen ad mercatum refertur, ut in antiquis legibus Frisicis tit. *von Heerfahrt, de Freesen scholen frye Straten hebben to besaten Marckete, id wære denn, dat he de frye dede in densulven Wickbilde, da de Marckt wære so scholde he sin Recht dar entfangen.* Hoc primum esto privilegium, quod Weichbildus sive colossus Rulandinus denotat.

Maximiliani Cæsaris inhibitio.

Gröningæ destructio.

Privilegium mercatus Bremensis.

nundinæ binæ Bremensium.

Jurisdictio archiepiscopi super Ducatu Bremensi.

Diplomata Cæsarea ab Erp. Lindenbr. edita.

Weichbildi nomen mercatum respicit.

SECTIO XXVII.

Per statum Rulandi jus municipale sive Weichbildicum designatur.

Alterum jus ex priori descendit ac in judicio juris municipalis consistit: *Daß am selbigen Ding stuele Weichbildes Recht gelte art 9. Weichbild.* Cum autem in nundinis ac mercatibus frequenter controversiæ inter contrahentes oriantur, illi quoque se ipsos defendere contra vim non possint, ideo illis comes & si forum ad ecclesiam pertineret, advocatus præpositus est, qui sub banno Regio jus diceret inter litigantes, mercatores euntes & redeuntes secure reduceret, monetam, macellum & alias tabernas constitueret, telonium aliaque jura, quæ mercatui adhærebant exerceret, ut ex allegatis privilegiis innotescit: itaque judex civitatis sive Burggravius sive advocatus secundum jus municipale judicare tenebatur: quod causam a civitate Magdeburgensi utpote metropoli Saxoniæ trahit, cujus jura & consuetudines ceteræ minores civitates imitari voluerunt. Unde passim in jure Sax. & respons. Magdeburg. fit mentio civitatum in jure Magdeburgico fundatarum *die Weichbilds Recht haben. Ita in d. respons. part. 3. c. 8. dist. 1.* dicitur *von einer Stadt, da Weichbilds Recht ist*, ut scilicet excludant alias, quæ id jus non habent, sed jure communi & provinciali adhuc gubernantur; itaque quæ villæ sive vici jus municipale consequebantur, in ejus signum Weichbildum sive colossum Rulandinum erigebant. Ita Conradus Svevus Friderici II. filius, Joanni episcopo Mindensi dedit potestatem constituendi duo oppida, quod vulgo *Weichbelede* appellatur, ubicunque eadem in sua dioecesi duxerit construenda, ut habent verba diplomatis, quod exstat apud PISTORIUM: ita Joannes XXII. Papa villas aliquot in civitates erigit *in C. Salvator. extrav. comm. de præb.* Quo pertinet, quod Otto I. & post eum Henricus II. Bremam aliaque loca, quæ quasi prædia monasteriorum illo tempore fuerunt, in mercatus erexit, hoc addito privilegio, quod in omnibus tali tutela ac jure potiri debeant, quali majorum videlicet civitatum institores per regnum potiri noscuntur GRYPHIANDR. WEICHB. *p. 188. §. 22. 23.* seqq. nimirum quia civitas nondum erat Brema. iisdem tamen privilegiis fori ac mercatus, quibus etiam majores civitates gaudebant, gaudere debeat; & hoc est, quod dicitur: *Dörfer*

Rulandus juris Weichbildici index.

Comitis officium in oppidis.

Civitates in jure Magdeburg fundatæ.

Episcopi Mindensis privilegium.

Brema villa jus fori accipit.

fer haben auch Weichbilds Recht in D. resp. Magdeb. *part. 1. c. 2. distinct. 18.* Quæ forte causa est, quare in Marchia Kinsbergæ, Premslaviæ, Reichenwaldi, Finsterwaldi & in pluribus aliis locis ac pagis ignobilioribus etiamnum *statuæ Rulandinæ* visantur testib. *Alb. in chron. Misn. fol. 88. Knich. in not. ad Jo. Dauth. hypotyp. sect. 8.* in signum scilicet, quod ipsi quoque jure municipali sive Weichbildico gaudeant, quanquam etiam aliam rationem assignet SPANGENB. *in chron. Saxon. c. 121.* Et simile quid de vicis in Megapoli refert Sibrandus, quod jura municipiorum per omnia non habeant, quamvis nonnulli eorum usu juris Lubecensis sint donati *in comm. ad stat. Lubec. Sect. 6. n. 12.* hæc illa sunt speciosa privilegia, quæ per statuas Rulandinas posterioribus temporibus præfigurata fuerunt. At eatenus recipi potest *Jo. Dauthii* sententia, quando asserit, statuas hasce in loco judicii poni solitas *bey dem Ding-Stühlen* it. *Brotuffi* in signum jurisdictionis, non ipsi civitati & subditis sed comiti & advocato competentis. Addendum & hoc in signum juris municipalis eo in judicio observandi, quod Bremensis civitatis privilegium potissimum urget *Henricus Bersing* in disputatione cum cive Lubecensi, quando dicit: *Unsers Herrn Voigt von Bremen* (ita passim vocatur in chronicis ac statutis Bremensibus Judex Domini nostri archiepiscopi Bremensis) *hat anders nicht zu richten denn was der Rath zu Nutzen des gemeinen Besten und der gantzen Stadt gesetzet hat, und als mein Urtheil und Recht in ihrem Buche geschrieben stehet.* Chron. Brem. MSCt. Statuta autem illa sunt condita a senatu & civibus an. 1303. proximo die post S. Andream ut dicitur in principio statutorum, & sunt nihil aliud quam pacta privatorum, de rebus ad mercatum & opificia sua pertinentibus MATTH. STEPH. *l. 2. de jurisd. part. 2. c. 8.* vulgo *Wilkuer Weichbild* cujusmodi etiam villæ sibi ordinare possunt, *art. 55. lib. 2. Land-Recht.* neque enim aliter valent quam si superioris sui juribus non adversentur *l. consuet. C. quæ sit longa consuet. contract. de R. I. in 6.* vel ab eo confirmantur. HEIG. *part. 1. quæst. 23. n. 33.* RUTGER RULAND *in Decis. Camer. quæst. 16.* ita dicitur de Domino villæ, *Kein Recht mag er setzen, noch sie selber wählen, da sie des Land-Richters-Recht kräncken mögen art. 79. lib. 3. Land-R.* concordat gloss. d. l. & *ad art. 18. & 43.* Weichbild. Quod ipsi Bremenses in principio statutorum suorum fatentur: *Diese Willköer und disse settinge schollen unsers Herrn Recht nicht mindern* h. e. statuta, pacta & sponsiones nostræ, domini nostri archiepiscopi jura non minuent, cumque post illa tempora consules Magdeburgenses & Bremenses contra jura ecclesiastica jura quædam condidissent, Carolus IV. ea solemni edicto de anno 1359. antiquavit ac prohibuit. Exstat apud ERP. LINDEBR. & PISTOR. inter *privil. Bremens. & Mindens.*

Pagi, statuas Rulandinas habentes.

Vici jure Lubecano utentes.

Dauthii & Brotuffii sententia declaratur.

Statuta civitatis Bremensis.

Statuta juribus superioris non derogant.

Statutorum Bremensium conditio.

SECTIO XXVIII.

Refutatio aliorum Jurium, quæ colossis Rulandinis vulgo tribuuntur.

Ceterum quæ de urbis immediata dependentia ab Imperio Romano, de metropoli cujusque regionis & nescio quænam alia vulgo afferunt, gerræ sunt meræ ab inani vulgi sermone profectæ, quale est & hoc: ubi colossus sub dio sistitur, illic omnimodam libertatem, ubi vero sub tegumento, ut Halæ, ex semisse militare, refert KNICH. *in not. ad Dauth.* it. illud quod civitates, quæ libertatem sibi ereptam existimarunt, statuam Rulandi ultro dejecerunt DILICH. *in chron. Brem. fol. 40.* nimirum, campana sonat, phantasticus quod somniat, ut habet proverbium. JASON. *relat. ab* ALCIAT. *lib. 4. d. v. 5.* Si jus esse debet, in cujus Imperatoris constitutionibus id exstat? sin vulgi judicio id consistit, jus est cerebrinum, imaginarium, ac phantasticum a nemine observandum DECIAN. *Resp. 36. n. 41. vol. 1. Garth. de expens. c. 1. n. 28.* quia vulgi putativa æquitas plerumque duplex est iniquitas. BALD. *in rubr. quæst. 9. n. 11. c. de non num. pecun.* Libertas namque quarundam, ut plerumque concedit in imaginariam reipubl. indolem, veluti BRUTI illud apud LUCIANUM: *Tuumque nomen libertas & inanem prosequor umbram* accommodat SCOTUS resp. 28. sub n. 106. ad fin. ut plebecula imperitiæ ac confusionis exemplo sæpius atque iterum edocta tanti poenitere libertatem prætensam imaginariam ostendisse deploret. Dulce & quandoque fallax libertatis nomen. Felices cives sua si bona norint hoc deploratissimo statu, ANDR. KNICH. *in velitat. apologet. num. 111. 112. 113.* Dejecerit licet Hamburgum A. C. 1315 colossum Rulandinum ad sententiam Caroli IV. CRANZ. *lib. 10. Saxon. 2.* CHYTR. *lib. 22.* quod tamen GRYPHIANDR. de *Weichbild. Sax.* cap. 70. n. 10. rejicit tamen id, quod ex falsa persuasione ac errore profectum veritati nullum præjudicium parit; ignoravit enim Hamburgum, quantum sibi liceret, quanquam ejus facti causas diversimode interpretantur, DAUTH. *in d. Sect. 8.* & ibi KNICH. *in not.*, MATTH. STEPH. *lib. 2. de jurisd. part. 2. c. 1. n. 22.* MARTIN. ZEILLER. *in itinerar. Germ. c. 17. n. 5. fol. 365.* Eodemque pertinet demolitio Rulandi in urbe Quedlinburgensi a Marchionibus Misniæ occupata FABR. *lib. 7. de orig. Sax. fol. 783.* ne scilicet esset idolum persuasæ libertatis, ut annotat KNICH. *ad d. S 8.* Alioquin ad mediatam vel immediatam dependentiam ab Imperio civitatis alicujus colossus Rulandinus prorsus nihil facit, neque eo fine positus, sicuti enim *Wedela* vicus ad Albim Schawenburgicæ ditionis colossum Rulandinum habet in signum mercatus boum, qui hic annuatim celebrari solet salvo jure domini sui, ita quidni & Hamburgum habere posset, quippe quod non solum emporium celeberrimum, sed & urbs est ex Hanseaticis civitatibus non postremi nominis. Quæcunque enim civitas, municipium, oppidum, vicus, pagus, in jure municipali fundata est, *hat Weichbilds Recht*, illa & Weichbildum praferre & statuam Rulandinam collocare in judicio potest, cum hæc sit propria & adæquata ejus nota. Quod si sublimius aliquod jus ac immediatam dependentiam cum Dauthio colligere ac exstruere inde velis, ignobiles illi Rulandi Wedelæ & in pagis Marchicis positi te coarguent. Nec liberæ Imperii civitates, ut Norimberga, Augusta, Argentina Cæ-

Juris imaginarii capita quædam.

Hamburgenses Rulandum dejiciunt.

Demolitio Rulandi Quedlinburgensis.

Wedela vicus ad Albim habet Rulandum.

Civitates Imperiales

Statuis Rulandinis destitutæ.

Cæsaream Majestatem immediate & sine ulla controversia agnoscentes propriam hanc & adæquatam dependentiæ notam, per quam ipsæ status quæstionem paterentur, agnoscent. Et ne in Saxonia saltem Dauthii principium valere dicas; sunt hic quoque urbes, ut Lubeca, Brunswiga, non minoris autoritatis, quamvis statuas Rulandinas non habeant; imo Lubecensis respublica Magdeburgo & Bremæ usque adeo nihil cedit, ut etiam superior esse velit tam dignitate quam potestate; est enim non modo libera Imperii civitas a Friderico I. & II. multis privilegiis aucta, DRESSER. *in millen. 5. de urb. Germ.* CHYTR. *in Sax.* sed & una ex quatuor Imperii civitatibus κατ' ἐξοχὴν ita dictis, de quib. PETR. *de* ANDLO *l. 1. de Kom. Imp. 16.* PAURMEIST. *lib. 2. de jurisd. Imp. c. ult. n. 16.* est caput Hanseaticæ societatis DRESS. & CHYTR. *d. l.* CRUSIUS *de præced. p. 783.* est præterea urbs potentissima & respublica bene constituta, quam etiam commendat *Æneas Sylvius in Europ. c. 24.* in cujus urbis laudes late se diffundit SIBR. *in comment. ad stat. Lubec. part. 1. Sect. 2. & 8.* ut propterea in disputatione de utriusque civitatis prærogativa Hamburgi habita a. 1300. inter *Tilemannum Badendorff* civem *Lubecensem* & *Henricum Bossing Bremensem*, quorum ille suæ reipublicæ primas partes jure meritoque vindicarit, si credendum est Chron. Bremens. MSCt. cur ergo inquis Lubeca nullum Weichbildum sive Rulandum habet, cum ipsa habeat jus municipale, *hat Weichbilds-Recht*; habeat præterea jus nauticum *das Weißbuls-Schiff-Recht* ut vocat MATTH. STEPH. *lib. 2. de Jurisd. part. 7. c. 7. n. 7.* nimirum quia Lubeca prudenter hæc deliramenta ludicra & inania putativæ libertatis simulacra plus honoris quam juris, plus terroris quam roboris habentia nihil curavit: sicuti de Romanis acute Tacitus: Apud nos jus Imperii valet, inania transmittuntur, lib. XV. *annal.* Quanquam si dicere velis Jus Lubecanum quandoque juri Magdeburgico opponi, non reclamaverimus. Ita enim invenimus quasdam urbes singulari privilegio non minus in jure Lubecano fundatas *sind mit Lübischen Recht gewidmet* quam aliæ fundatæ sunt in jure Magdeburgic. de illis vid. SIBRAND. *ad stat. Lubec. Sect. 10.* Hæc copiosius deducere voluimus, eo quod de prætenso statuarum Rulandinarum jure, origine & causis pauca a viris doctis in litteras relata exstant. Ac cum hinc satis constet, nominis hujus usum circa Caroli IV. tempora plus minus demum invaluisse, Henrici autem temporibus nondum viguisse; sequitur, colossos Rulandinos infallibile falsitatis diplomatis Henricani argumentum & monumentum ad æternam posteritatis memoriam exstare.

Lubicensis Reipublicæ autoritas.

Quatuor primariæ civitates Imperii.

Lubicensis Reipubl. laudes.

Disputatio inter Bremensem civem & Lubicensem.

Lubeca cur Rulandum non habet?

Jus Lubecanum & Magdeburgic. opposita.

Statua Rulandina falsitatis argumentum.

SECTIO XXIX.

Nomina potestatum a temporibus Caroli M. in Germania usitata.

Civitates olim judicia non habuerunt.

Sextum falsitatis argumentum elucet ex judicio criminali, quod in prætenso diplomate Henrici V. æque ac in privilegiis jactatis Caroli M. civitati Bremensi contra prædones ac piratas tribuitur. Hoc autem Henrici V. temporibus usque adeo non habuit civitas Bremensis, ut nequidem propter inhabilitatem suam habere potuerit. Per ea, quæ superius sunt deducta, & ex nomenclatura potestatum ac dignitatum illo tempore usitatarum clarius probatur. Jurisdictionem enim omnem a Caroli M. temporibus in Germania & Saxonia comites & missi exercebant, ui ex LL. Carolinis constat non solum in pagis (vulgo *Gow* dictis unde Gowgravii) sed etiam in oppidis cuique pago sive districtui subditis; quod eleganter explicavit BEAT. l. 1. *rer. German.*, quem sequitur KYRIAND in ann. Trevir. part. 7. & 13. ubi non solum episcopales, sed etiam liberas Imperii civitates suos habuisse comites demonstrat, unde SPIGELIUS: quia tempore Caroli M., inquit, regnantibusque Ottonibus, ad singulas civitates regendas aliquis comes mittebatur, coepit territorium, cui comes præerat, comitatus dici, alias territorium, districtus, dioecesis, lib. 5. *comm.* ad *Günth.* Late suo more LEHMANN *lib. 2. chron. Spirens. cap. 18. Stadt hat man geheissen eine grosse Gemeinde, in welcher samt der gantzen Gow ein Bischof und ein Graff im Nahmen eines Teutschen Köngs Geistl. und weltliche Obrigkeit verwaltet.* Inde nomen comitis sive Gravionis pro judice passim accipitur HEIG. *l. 1. quæst. Sax. 2. n. 40.* & seqq. KNICH. *de jur. terr. c. 4. n. 40. & c. 4. n. 52.* PEUCER *lib. 5. chron.* REINECC. in tr. *von des Adels Herkommen* fol. 139. & seqq. huic suberant Centenarii & Zentgravii, de quibus *Beat. Rhen. lib. 2. rer. Germ.* LEHMANN. *lib. 2. chron. Spir. 22. & seqq.* & GRYPHIANDR. WEICHB. *p. 227. 228. 229.* qui iidem etiam *sculteti* in jure Saxonico appellantur in *LL. Longobard. lib. 2. tit. 41. & 52. Scultasius* item *Schultheis* dicitur, quasi qui jubet debitum exsolvere pignoris captione & mulcta, LEHMANN. *d. c. 22.* Alicubi etiam AMMANNUS dicitur, sicuti AMBACTIA pro præfectura aliqua apud Gallos accepta PITHOEUS *l. 1.* adverf. 8. FREH. *lib. 1. de orig. palatin. 5.* Et *scultetia* præfectura definitur *art. 80. lib. 3. Lana-Recht*, ut hæc omnia synonyma sint & inferiorem potestatem denotent. Quamvis enim *scultetus primarius* ex Scabinis esset, sine quo judicium haberi non poterat, *art. 59. lib. 1. art. 52. lib. 3. Land-R. art. 18. Weichb.* Comite tamen inferior erat ac jurisdictionem simplicem tantum cum mixto Imperio habebat d. *art. 80. lib. 3. art. 10. & seqq. Weichb.* Inde orta est differentia *altæ* & *bassæ* jurisdictionis, quarum illam comes, hanc scultetus habebat, per ea quæ annotat PAURMEIST. *lib. 1. de Jurisd. Imper. 16. in fin.* COLER. *de process. execut. l. 2. c. 1. n. 124. & seqq. Eberb. Spechb. Bremens. cent. 1. illustr. quæst. 90.* Quæ in responsis Magdeburgensibus ad utrumque satis clare refertur: *Der Schultheiß hat das Nieder-Gericht, der Burggraff das Oberste. l. 1. C. distinct. 18.* itaque centenarius sive scultetus non poterat judicare de vita & possessione *lib. 2. LL. Longobard. tit. 52. n. 3. art. 45. Weichb. konnte nicht richten über Hals und Hand art. 52. lib. 3. Land-Gericht gloss. ad d. art. 80. lib. 3. eod.* quia scilicet bannum Regium non habebat *art. 36. §. 2. Lehn-Recht.* Quamvis enim bannum suum acciperet a Comite, & hic a rege, *art. 2. Weichb.* bannum tamen regium nemo concedere poterat, nisi rex solus

Jurisdictio penes comites & missos.

Comites civitatum judices.

Centenarius Scultetus subest Comiti.

Sculteti notatio.

Ambactia Scultetia præfectura.

Jurisdictio alta & bassa.

art.

art. 64. lib. 3. Land-Recht. COLER. *d. lib. 2. cap. 1. n. 125.* hoc est secundum jus civile simplicem jurisdictionem jure Magistratus competentem a quovis alio accipere poterat, inferior hic judex; sed non merum imperium, quod a Lege vel principe datur *C. 1. de offic. ejus cui mandat. est jurisd.* Regius enim bannus nihil aliud, quam jus gladii sive criminalem jurisdictionem denotat, juxta *gloss. ad. d. art. 64. l. 3. Land-Recht tit. D. & lib. 2. art. 61. in add. ad gloss. n. 4. Bey Königs Bann Dingen* est habere merum Imperium: aliqui ita. JO. DAUTH. bannum regium explicat, *in hypotyp. Sect. 8.* it. MATTH. STEPH. *de jurisd. part. 2. lib. 2. C. 4. n. 41.* vulgo *Bluetban, Hals-Gericht.* COLER *d. c. 1. n. 122.* Hæ tum erant potestates per Saxoniam tam in oppidis quam in agris Consulum dignitate ac potestate prorsus ignota. Neque enim potuit nisi nudum nomen Consulum superesse, cum omnis jurisdictio tam merum quam mixtum imperium apud comites & sculetos resideret; unde etiam in pactis ac subscriptionibus civitatum nomine factis sculteti sive Magistri scabinorum, & scabini consulibus & senatui urbis utpote majori dignitate & potestate præditi præferebantur, ut videre est in pactis urbis Trevirensis cum comite Lutzenburgico initis a. 1302. *in annal. Trevirens. Kyriand. part. ult.*

Consules in Saxonia diu ignoti.

SECTIO XXX.

Advocatiæ episcopatuum secularem jurisdictionem continebant.

Advocatorum ecclesiæ officium.

In illis autem civitatibus, quæ episcopos habebant, comites etiam advocati erant, qui secularem jurisdictonem ac politica negotia Cæsaris nomine expedirent, simulque episcopos ac clericos docendi munere intentos manu militari defenderent. Quanquam olim tantum ad procurationem rerum episcopalium officium eorum pertinuisse videtur *Capit. Carol. lib. 5.* cap. 234. GRYPHIANDR. *c. 63.* hoc statuimus, inquit textus, ubicunque episcopi substantiam habuerint, advocatum habeant in ipso comitatu, qui absque tarditate justitiam faciat & suscipiat. Verum postea laxior ipsorum potestas esse coepit, ita, ut jurisdictionem quoque contineret & alicubi comites supprimeret; atque hæc præfectura ex fine advocatiæ nomen meruit, ita dicitur *in usib. feudal. in §.* quicunque *2. feud. 27.* it. in don. *Carol. M.* apud *Mut. l. 9. rer. Germ.* & passim. in jure Canonico defensaria *in C. unic. extrav. de maj. & obed.* inde feudum advocatiæ, *de quo vult lib. 1. feud. 8. n. 27.* quæ vocabula Germani quotidie usurpantes ad suum idioma transtulerunt pro advocatia, *Voigtey*, pro advocato *Voigt* pronunciantes, BODIN. *l. 1. de republ. 7. in princ.* KNICH. *de jur. territ. Voigteya* GILMANN. *l. 1. rer. judic. cam. 1. n. 24. & seqq.* inde advocatus in jure Saxon. etiam judex dicitur *art. 64. l. 3. Land-Recht* Judicium *Vogt Ding art. 2. lib. 1. Land-R.* Itaque quoties primi Impp. episcopum vel Abbatem constituerent, illi simul advocatum aliquem *ein Kaspel-Voigt* ex secularibus adjunxerunt, sive comitem sive alium militarem, ipsi Cæsares superiores advocati (*Obriste Patronen der Kirchen*) fuerunt: Et quandoque etiam inferiores ratione ducatus hæreditarii. Ita Fridericus I. in diplomate *d. a. 1178.* se advocatum ecclesiæ Spirensis vocat, ratione Ducatus Sveviæ. CRUS. *in annal. Svev. part. 2. lib. II. c. 16.* imo cum principes possessiones quasdam ecclesiis darent, ipsi eorum advocatias hæreditario jure sibi retinebant LEHMANN *l. 2. chron. Spir. c. 36. ad Bremens. hist. eccles. ad Mideri p. 545.* Ita Lotharius Imp. a. 1134. in fundatione coenobii S. Ægidiani Brunswicensis sibi & arci suæ Tanqvarderodæ reservat: *die Voigtey effte werltliche Gericht, die er vermittelst semen Diener regieren lassen wolte. relat. histor. Duc. Brunsv. part. 1. c. 1.* Quandoque etiam suos proprios cognatos ad hanc dignitatem promovebant; ita Carolus M. in diplomate de a. 813. Augiæ majori coenobio concedens *Ulmam* villam regalem ut Abbas cum fratribus suis, exterioribus curis remotis, liberius DEO servire possit, *Adelbertum* cognatum suum in supradicta villa advocatum & defensorem constituit sub juramento ne statuta Imperialia transgrediatur, atque hæ sunt advocatiæ quæ sub Henrico V. ad regalia pertinebant ut constat ex ejusdem litteris *apud Dodsch. Abb. in append. ad Mar. Scot.* Ex quo autem advocatiæ & secularia judicia ad episcopos pertinere coeperunt, initio facto ab Ottone M. qui primus fratri suo Brunoni Archiepiscopo Coloniensi ea concessit a. 953. de quo WIDEK. *mon. chron. Erford. MSCt.* LEHMANN. *in chron. Spir. l. 4. c. 3.* Episcopi eas suo nomine exercuerunt aliisque advocatis in feudum concesserunt. Ita Adalbertus archiepiscopus Hamburgensis in privilegio, dato monasterio Pozensi a. 1053. sanxit: ut quicunque de sua stirpe (comitum a Bren) Laicus cæteris provectior esset, huic loco advocatus constitueretur. Quin legitur, ipsos Imperatores aliosque seculares Principes advocatias ab ecclesiasticis beneficiario jure accepisse. Ita Fridericus I. in diplomate dato Constantiensi episcopo a. 1115. conferens præpositurarum Oeningen, hæreditario jure ad se pertinentem ejus advocatiam rursus de manu episcopi recipit, spondens, quod curtes quædam nullius sub advocati districtu subjacere sed ad dominicalia pertinere debeant, *exstat in antiq. const. prist.* Contra Gerhardus de Stotle advocatiam in curia Bramstede, quam de manu archiepiscopi Bremensis jure feudali in beneficio tenuerat, eidem vendidit cum omnibus utilitatibus & attinentiis a. 1248. exstat diploma apud LINDEBR. Quamvis vero inter Cæsares & episcopos super jure regali advocatiarum contentio extiterit, eo quod eas pontifex episcopis appropriare vellet, Imp. prorsus excluso, quod & Urbanum 3. præstitisse scribit BARONIUS in *annal. eccl.* ad a 1186. contradicente LEHMANN. *lib. 4. chron. Spirens. 22.* qui usque ad Friderici II. tempora *Imp.* id jus defendisse contendit; tamen certum est civitates nihil cum eo jure commune habuisse, quibus quippe parendi necessitas incumbebat, quod ipse Lehmannus agnoscit *d. l. 4. c. 3.* ibi: *Solche Befreyung der Stædte von den weltlichen Reichs-Officirern, hat ihren Anfang unter Kayser Ottone dem ersten und seinen Nachkommen; hat aber den Stædten oder Lændern wenig oder nichts fürgetragen. Denn was die Kayser damals den weltlichen Obrigkeiten abgestrickt, das haben sie den*

Feudum advocatiæ.

Ecclesiasticis semper advocati adjuncti.

Cæsares supremi Advocati.

Advocatia civitatis Brunswicensis.

Advocatus Ulmensis.

Otto M. primus episcopis secularia judicia concessit.

Advocatiæ ab episcopis secularibus concessæ.

Advocatia Bramstedensis ab archiepiscopo Bremensi recepta.

Contentio inter Cæsarem & episcopos.

Civitates in potestatem ecclesiasticorum incidentes.

Geistlichen übergeben und eingeraumet, ut ita civitates a potestate secularium liberatæ ipso momento in potestatem ecclesiasticorum inciderint possessione vacua ipsis nunquam relicta.

SECTIO XXXI.

Advocatia urbis Bremensis ad archiepiscopos Bremenses & Duces Saxoniæ olim pertinens.

Sedes scabinalis Magdeburgensis pertinuit ad Burggravium.

Ut autem ad speciem descendamus, sicuti judicium sive sedes Scabinalis Magdeburgensis olim non ad civitatem Magdeburgensem sed ad ejus Burggravium pertinuit, qui etiam advocatus ecclesiæ Magdeburgensis appellatur *in art. 14. Weichbild.* ita etiam urbis Bremensis advocatia, hoc est, judicium cum banno regio, ac omni potestate sive, ut duobus verbis efferamus, urbis Imperium, cum CRANZ. *lib. 6. Metrop. 2.* ad archiepiscopum Bremensem pertinere coepit, non quidem ex concessione Caroli M., ut falso existimat *chron. Brem.* MSCt. & ex eo CRANZ. *lib. 2. Sax. 23.* cum id superioribus prorsus adversetur, sed beneficio Ottonis M. cujus exstat privilegium de a. 937. inter diplomata *Erp. Lindebr.* ut nullus judex publicus vel quælibet judiciaria potestas aliquam sibi vindicet potestatem in supradictorum hominibus monasteriorum (nempe Rameslao, Eremo, Biresino, & Burcheno) Litis videlicet & colonis vel eos aliquis capitis banno, ob capitis furtum vel quocunque banno constringat aut aliquam justitiam facere cogat, nisi advocatus archiepiscopi. Ita Fridericus comes advocatus ecclesiæ Bremensis appellatur in litteris Liemari archiepiscopi d. a. 1088. apud Lindebr., qui Liemarus cum a Ludere comite (qui postea Imperator factus est Lotharius) captus esset, illi pro redemtione sua dedit advocatiam urbis Bremæ & trecentas marcas argenti GRYPHIANDR. *MSCt. de episc. fol. 44.* ALB. ABBAS *Stadens. ad a. 1089.* ALB. CRANZ. *lib. 5. Sax. 12. lib. 5. Metrop. 21. hist. archiep. Brem. in Liemaro chron. Brem. MSCt.* quo jure Albertus Ursus Dux Saxoniæ postea Bremam occupavit CRANZ. *lib. 6. Sax. 7.* UBB EMM. *lib. 6. rerum Fris.* inde factum inquit (epitomator) quod Lotharius ejusque successores Saxoniæ Duces jus sibi a Liemaro cessum quam largissime de dominio urbis interpretantes, eam sibi multos annos hæreditario jure vindicarunt, urbs vero libertatem adversus duces tueri atque asserere laboravit, DILICH. *in chron. Brem. p. 67.* sed hoc posterius ἐπίσαγμα de suo attexit abbreviator, qui defendere libertatem non poterant, quam non habebant Bremenses. Quamvis vero inter archiepiscopum & Duces Saxoniæ super advocatia urbis quotidie bella & diffidia orirentur, eaque etiam in ipsos cives redundarent; tamen cives sumtis armis se ipsos defendisse eo adhuc tempore non leguntur, sed semper in partem victoris cesserunt, ab eoque defensionem & tutelam expectarunt. Ita Hermannus comes Adalberto archiepiscopo infensus, cum exercitu copioso contra Bremam venit, ibique diripiens omnia, quæ ad manum venerant, ecclesiæ soli pepercit, ADAM. BREMENS. *in hist. eccl. c. 160.* nihil tum fecerunt cives per se, sed archiepiscopus eo nomine querelam ad palatium Cæsaris deferens, comitem ad satisfactionem compulit ADAM. BREM. *cap. seqq.* Atque hoc erat jugum Ducum Saxoniæ quod tam cupide sed frustra excutere tentarunt archiepiscopi, ut ex querelis Adalberti constat, id agentis, ut nec Dux nec comes nec aliqua judicialis persona quampiam jurisdictionem aut potestatem in suo haberet episcopatu ADAM. BREMENS. *c. 122. & c. 120.* Ideo Adamus Bremensis in carmine ad Liemarum Adalberti successorem sub finem operis sui ita precatur:

Advocatia urbis Bremensis pertinet ad archiepiscopum.

Ottonis M. concessio facta archiepiscopo.

Advocatia Bremensis Lothario Saxoni concessa.

Dilichius notatur.

Contentiones archiepiscopi Bremensis, cum Ducibus Saxoniæ.

Brema direpta.

Ut Brema cum Hamburg per te redimi mereantur,
Quæ diuturna sui flent tempora carceris ambæ
Hæc a paganis oppressa, hæc clausa tyrannis.

Quibus posterioribus verbis nihil aliud quam Ducum Saxoniæ potestatem in urbe Bremensi competentem intelligit; atque hæ contentiones ita ad posteros & successores Lotharii Cæsaris propagatæ sunt; eoque jure nititur prætensio Henrici Leonis, apud CRANZ. *lib. 6. Sax. 10. & 20.* quæ ad cives nihil prorsus pertinebat, quippe quibus invitis archiepiscopi advocatiam urbis alienare vel alii cedere poterant, sicuti nec Liemari concessioni contradixisse leguntur; sed & recuperatam advocatiam archiepiscopi libere & sine cujusquam contradictione per suos judices Bremæ exercuerunt ac diutissime post tenuerunt, constat id, ex formula supplicationis, qua judicii celebratio a judice archiepiscopo impetrabatur, *der Voigt wolle ein Gericht hegen.* Ita cum a. 1365. civilis seditio exorta esset, Senatus Bremensis orat Judicem sive *den Voigt daß er wolle bey* Vesper-*Zeit ein Gerichte hegen und halten und ihnen gönnen durch solche Noth, daß sie mit ihren Waffen möchten kommen für das Gerichte u. lassen den Vogt fragen eines Rechts &c.* ut habent verba *chronici Bremensis* MSCt. qua petitione opus non habuisset Senatus, si ad ipsum judicium vel jurisdictio criminalis pertinuisset, cum nequidem cum armis comparere in judicio sibi liceret, quod solius judicis est insigne; quia ad mallum quilibet sine armis, si intra patriam est, comparere debet *lib. 2. ll. Longobard. tit. 46.* Neque sane verisimile est, archiepiscopum Bremensem minora jura in civitate Brema obtinuisse, quam alii episcopi in suis urbibus obtinuerunt, quæ qualia fuerint ex diplomate Caroli IV. dato episcopo Constantiensi anno 1357. apud *Pistorium* cognoscere licebit, ubi inter alia sic legitur: Item dictus episcopus in præfata civitate habeat ministrum & omnes seculares ab eo & ad eum tanquam a vero domino immediate dignoscantur dependere &c. Quamvis vero in statutis Bremensibus de anno 1303. concurrens quædam jurisdictio Senatui cum Judice archiepiscopi tribuatur hisce verbis: *Wer einen Bürger verklagen will, dat schall he doen vor mines Herrn Vogd, ofte vor den Radmannen, und anders nergend nicht*; tamen id posterioribus temporibus quoad Senatum saltem de causis levioribus accipiendum est, quæ ad mercatum & negotiationem pertinerent, & per simplicem jurisdictionem expediri possent, cujusmodi Consulis officium describitur in jure municipali, *art. 44 in fin. Weichbild* & alibi passim. At quæ majoris momenti negotia

Henrici Leonis prætensio.

Formula impetrandi judicium.

Episcoporum jura in urbibus episcopalibus.

Senatus & Advocati concurrentia.

negotia erant ac bannum regium requirebant, ea ad advocatum aliosque officiales archiepiscopi spectabant; de quibus sectione 29. dictum. Quam minima privilegia habuerint cives Bremenses tempore Adalberti, constat ex afflictione eorundem, quando etiam indicta causa puniti, incarcerati, mulctati, deportati, & magis quam alii subditi oppressi fuerint. ADAM. BREM. *cap. 183.*

SECTIO XXXII.

Civitatum Saxonicarum potentia quomodo creverit?

Civitates quomodo advocatias acquisiverint?

Ex superioribus constat Bremam aliasque civitates Saxonicas Henrici V. tempore advocatiam ac bannum regium non habuisse; nequidem ante an. 1300; verum post illa tempora plerasque civitates Germaniæ regia hæc jura successive acquisivisse ex diplomatibus ac certis historiis evinci potest. Ita legitur in historia *Landgravior. Thuringiæ c. 84. tom. 1.* PISTOR. inter *Fridericum Landgravium* & *Erfurtenses* magnam discordiam ortam esse, eo, quod cives multas jurisdictiones ac advocatias in villis circumquaque adjacentibus civitati comparaverant; sed & civitas *Brunsvicensis* a. 1345. à Magno & Ernesto Ducibus Brunsvicensib. fratribus advocatiam urbis *die Vogtey in der Stadt*, item *die beyden Wickhilde Altewick und Sack mit dem Schloß-Gerichte*, quæ Ducum propria erant, pro 690. marcis argenti pignoris jure accepit, *relat. Duc. Sax. part. 1. c. 8.* Hinc ortæ contentiones inter civitates invalescentes & vicinos principes crescenti earum potentiæ contradicentes. Ob quam causam cum civitates Rheni, Sueviæ, Bavariæ, & Franconiæ contra principes & dominos terrarum foedus sive Ligam iniissent, a. 1388. principes commoti, quilibet princeps sibi vicinas civitates infestabat supra modum, & illas civitates omnes humiliaverunt & ligam dimittere compulerunt & libertates, quas domini ac progenitores eorum aliquando civitatibus vendiderunt, perpetuo & conditionaliter restituerunt sine pecuniis, imo pecunias dominis addiderunt. *Hæc sunt verba histor. Landgrav. Thur. c. 130.* Ita cives Bremenses circa a. 1300. caput erigentes, bellis archiepiscopi se immiscere coeperunt, veluti cum Gothfrido comiti de *Arcinsberg* electo contra Mauritium Oldenburgicum astiterunt *hist. Archiep. Brem. Cranz. in Metrop. Chron. Oldenb. &c.* auxit crescentem civitatum potentiam Carolus IV. in extollendis illis admodum sedulus quippe quarum opes & robur didicerat, esse opes & robur Imperii ut dicit PEUCER *in Chron. in vita Caroli IV.* ejus deinde filius Wenceslaus pleraque jura Imperii civitatibus petentibus & pecuniam afferentibus prorsus vendidit, usque adeo, ut utriusque regimen non immerito improbet THEOD. *a* NIEM. *episc. Verdens. in memore union. tr. 6. c. 33.* & puto, inquit, quod hi pater & filius & uterque ipsorum totum residuum Imperii libentissime vendidissent, si reperissent emtorem. Ut hinc tuto concludi possit circa ea demum tempora autorem fictitii hujus diplomatis Henricani vixisse in eoque concipiendo ad sui seculi statum respexisse & jurisdictionem civitati Bremensi tribuisse, quam Henrici V. & successorum temporibus nondum habebat.

Civium Erfurtensium invalescens potentia.

Brunsviga quando advocatiam urbis acceperit?

Bremensium emergens potentia.

Carolus IV. auget potentiam civitatum.

Wenceslaus filius.

SECTIO XXXIII.

Regalia fluminis Visurgis ad Cæsarem & Principes pertinent.

Flumina regalia.

Confirmatur hæc prætensi diplomatis falsitas, septimo ex eo, quod etiam Regalia quædam civitati Bremensi tribuere videtur, nempe Visurgim fluvium, cum salvo conductu, quæ regalibus annumerantur. *in C. un. & ibi F. F. quæ sunt reg. in usib. feud.* atqui regalia illo tempore ad Cæsarem & principes ecclesiasticos & seculares tantum pertinuisse multis argumentis ostendi potest: quamvis enim de investituris episcoporum ac Prælatorum inter Imperatorem Henricum V. & Paschalem II. Papam hoc ipso a. IIII. Romæ acerrima contentio exstiterit, quam late descripsit DODECHIN ABB. *in append. ad Marian. Scot.* tamen illa ad civitates nihil pertinuit, quippe quæ tum ejus juris nondum capaces fuerunt & cum illam controversiam Imperator Henricus V. tandem remitteret, concedens canonicas fieri electiones: ipsi vicissim singulari privilegio hoc jus confirmavit Papa, ut electi tam cisalpini quam transalpini non prius ordinarentur episcopi, quam regalia de manu Imp. per sceptrum acciperent. OTTO FRISING. *lib. 7. chron. 16. & lib. 1. de gest. Imp. Frider. c. 6. art. 60. lib. 3. Land-R.* Quod ita semper observatum legimus, etiam in ipsis archiepiscopis Bremensibus, quos regalia ab Impp. accepisse chronica Bremensia memorant; quanquam Caroli M. ævo falso illi tribuunt, ibi: *Wann ein Bischof zu* Bremen *gekohren ist, und ihm der Pabst* investirt *oder eingesetzet hat, so ist der Kayser oder Römische König des pflichtig, daß er mit seinen* Regalien *den Bischof und das Stifft vortfreye.* Hæc inquam, quæ Henrico V. tribuenda fuerant; illic tempore anticipato Carolo M. tribuuntur. Quod si ergo regalia archiepiscopo a Cæsare conceduntur, simulac is a Pontifice investituram accepit, saltem a temporibus Henrici V. civitati Bremensi adscriberentur? cum sit noti juris, unius & ejusdem rei duos in solidum neque dominos esse posse, *l. 5. §. fin. ff. comm.* neque possessores, *l. 3. ex contrar. ff. de acquir. poss.* quod multo magis de jure regali dicendum est, utpote quod individuum est, *ff. præterea*, & ibi F. F. *de prob. alien. per Frideric.* unde decisum est in jure feudali Sax., quod duo non possint jus feudale in uno judicio possidere *tit. 36. in fin. Lehn-Recht*, neque est, quod dicere velis civitatem Bremensem hujusmodi regalia de manu archiepiscopi vicissim accipere, quia illud in allegatis chronicis Bremensibus non habetur, sed hoc tantum, quod civitas libertatem suam (in jure Weichbildico consistentem) ab episcopo accipiat, ibi: *und also entfahet dann die Stadt die Freyheit von dem Bischoffe wieder.* Cætera regalia illo tempore ab archiepiscopo ne subinfeudari quidem potuerunt; oportebat enim ea de manu solius Imperatoris accipere *art. 58. & 60. lib. 3. Land-Recht c. 16. ff. 3. de reb. gest. Frid. 28.* Regalia nulli episcoporum militi antequam de manu principis suscipiantur, tradere licet. Item:

Regalia olim ad Cæsarem & Principes pertinebant.

Privilegium Pontificis de regalibus episcoporum.

Jura regalia sunt individua.

Civitas Bremensis quid ab archiepiscopo recipiat?

Men mag auch kein Gericht theilen noch gantz leiben, nachdem es einem geliehen ist, art. 53. lib. 3. Land-Recht ubi id explicat gloss. & *art. 64. eod.* Quod principium ipse JOANN. DAUTH agnoscit his verbis: Regalia ut regalia immediata sunt, & a nullo inferiori, a suprema Cæsarea Majestate tribui possunt. *in discurs. gener. & spec. de rer. publ. infer. Sax. illustr. reg. & stat. part. 1. fol. 15.*

JOANNIS DAUTH *consensus.*

SECTIO XXXIV.

Fluminum proprietas ad utriusque ripæ dominos spectat.

Civitas Bremensis olim in flumen Visurgi nil habuit juris.

Ut autem hic quoque propius ad rem accedamus, certissimis argumentis historicis ac juridicis simul doceri liquido potest civitatem Bremensem in flumine Visurgi nec regalia, nec jurisdictionem, nec dominium, nec insulas, nec ullum aliud jus, præterquam solam navigandi facultatem, quæ cuilibet etiam peregrino & extraneo jure gentium competit, eo tempore habuisse, sed id totum ad archiepiscopum & vicinos principes comitesque vigore investituræ Cæsareæ pertinuisse. Pro hujus assertionis fundamento præmittimus indubitatum juris principium: quod flumen duo territoria interfluens ac dividens, illorum proprium sit, per quorum territoria fluit, usque ad medietatem alvei, GRYPH. *de insulis p. 230.* SOCIN. *cons. 79. col. 1.* JACOB. *de feud.* in verb. *& cum flumnibus n. 7.* BOSS. *in tit. de flum. n. 17.* COEPOLL. *l. 2. de serv. rustic. 31. n. 14.* & flumina sunt communia usque ad dimidium alvei, BART. *de all. rer. it. videnda.* BALD. *in C. ex literis col. pen. extra de prob.* sed ut insulæ fluminum eorundem communes sunt usque ad medietatem *l. 7. §. 3. ff. de acquir. rer. dom. §. insula inst. de rer. divis.* quia contentum sequitur jus & conditionem sui continentis, *l. 2. ff. de pact. l. 1. §. 41. de pos. l. 59. de leg. 3.* & eadem est jurisdictio quæ immergitur aquis, & quæ super aquas eminet *Bald. in l. si plures n. 13. C. de cond. insert.* BAPTIST. *Parm. l. 2. de all. n. 52.* atque hoc ita usu observari ex pactis Sigismundi Regis Polon. & Gothardi Ducis Curland. an. 1561. initis discimus, quorum pars huc faciens sic habet: cum tractus Dunnæ sursum atque deorsum inter nos & Ducem constituat, æquitatis ratio postulat, ut medietate fluminis in piscando aliisque commoditatibus Dux perpetuo gaudeat, quæque insulæ sive mediamnes in Dunna fluvio alteri parti viciniores sunt, apud eandem partem maneant. CHYTR. *lib. 20. Sax.* Jam autem Visurgis fluvius a civitate Bremensi usque ad salsum mare per quindecim milliaria germanica, ut nautæ computant, ab una & orientali parte archiepiscopi Bremensis, & ab altera & occidentali parte comitum Oldenburgicorum & Delmenhorstensium territoria interluit & dividit: Ergo illorum quoque Visurgim fluvium cum omnibus insulis usque ad medietatem proprium esse & semper fuisse, necessario sequitur.

Fluminis proprietas ac jurisdictio ad utrumque territorium pertinet.

Insulæ fluminis ad utrumque territorium pertinent.

Pacta Regis Polon. & Ducis Curland.

SECTIO XXXV.

Comitatus Stadensis & Lesmonæ termini.

Territoriorum mutatio ad urbem Bremensem non pertinuit.

Hoc ut per partes demonstremus, duplici demonstratione opus est pro duplici ripa fluminis Visurgis Orientali & Occidentali. Ubi non moramur, quod hæc ipsa territoria subinde dominos suos mutarint, illique inter se de jure Visurgis & insularum quandoque disputarint; id enim ad civitatem Bremensem nil attinuit. Neque altius rem repetere volumus, quam ab Henrico IV. Cæsare, sub quo Adalbertus archiepiscopus Bremensis floruit. De eo sic scribunt: ita diviso in tres partes episcopatu, cum unam partem Udo (Marchio Stadensis) alteram partem Magnus (Dux Saxon.) haberet, vix tertia remansit episcopo; quam tamen ipse postea Bernhardo aliisque regis adulatoribus distribuens, fere nihil sibi retinuit, ADAM. *Bremens. c. 165.* ALB. ABB. *Stadens. fol. 130.* Tertia ergo pars episcopatus fuit comitatus Stadensis per omnem parochiam Bremensem sensim diffusus, maxime circa Albiam, ait idem ADAM. *Bremens. c. 162.* sed & vicinam terram palustrem & trans Albim ipsam *Dithmarsiam* illi annumerat CRANZ. *l. 6. Sax. 5.* imo omnes tractus ad Albim & Visurgin cum proximis insulis utriusque fluminis comprehendit. Ita enim legitur in *chronico Rhasiedensi* MSCt. Udo Marchio Stadensis possedit Wursatiam, Hadeleriam, & ceteras insulas Kedingiam & terram antiquam (Oldelandiam). Et in privilegio Philippi de a. 1186. ecclesiæ Hamburgensi conceditur integra cometia Stadensis cum castro & burgo, cum insulis & territoriis adjacentibus, puta pagus Wolfatorum, terra antiqua, Hadelode Wursatorum, Kedingorum; unde factum est, cum comitatus hic amplissimus esset, ut quandoque inter plures liberos divideretur CRANZ. *d. l. c. 5.* qui, quomodo ad archiepiscopum Bremensem redierit, & ab eo Hartwicho præposito in feudum concessus sit, vid. ABB. STAD. *fol. 163.* CRANZ. *d. l.* cui licet cootradicerent tutores Henrici Leonis, qui ducatum Saxoniæ inferioris ad se pertinere volebat; prævaluit tamen archiepiscopus eumque comitatum retinuit A. C. 1188. ABB. & CRANZ. *d. l.* altera pars episcopatus Bremensis a Ducibus Saxoniæ possessa fuit regio Lesmonæ, qui & ipse comitatus dicitur, atque *à Lesma* fluvio Visurgin ingrediente dictus, inclusive usque ad urbem Bremensem protenditur; quem comitatum antiquissimum esse vel ex eo apparet, quod *Walbertus* ex *Widekindi M.* posteritate comes Oldenburgicæ arcis fundator, *Oltburgam comitis Lesmonæ* filiam in uxorem habuit, REUSNER. *Stemm. Witich. fol. 108.* HENNING. *geneal. fol. 263.* HAMMELMANN. *chron. Oldenb. part. 1. c. 1.* Pertinuit autem ad Ducatum Saxoniæ inferioris illum, quem Otto M. Cæsar Hermanno Billingo primo ex comite Duci, concessit; de quo late HEINRIC. MEIBOM. *in vind. Billing.* Ejus filius Lutgerus *comitatum Lesmonæ* accepit & possedit, licet ab aliis comes Holsatiæ & Stormariæ dicatur. REUSNER *in geneal. princ. in auct.* Hujus vidua *Emma* nobilissima foemina cum multa dona ecclesiæ Bremensi liberaliter contulisset, ipsum comitatum sine liberis moriens Cæsari Conrado reliquit, ADAM. BREM. *c. 101. & 115.* ALB. ABB. STADENS. *fol. 121.* CRANZ. *l. 4. Metrop. 26.* HENR. WOLTHER. *in chron. MSCt. in Beselino.* HAMMELMANN. *in chron. Oldenburg. lib. 1. c. 12.* cumque eo nomine inter Bennonem sive Bernhardum Ducem Saxoniæ & Archiepiscopum Bremensem lis orta esset, Imperator Henricus IV. Bremam

Episcopatus Bremensis in tres partes divisus.

Comitatus Stadensis amplitudo.

Dithmarsia Comitatus Stadens. pars,

Insulæ ad comitatum Stadensem pertinentes.

Comitatus Stadensis Archiepiscopo concessus.

Comitatus Stadens. divisus.

Henricus Leo comitatum Stadensem sibi vendicat.

Comitatus Lesmonæ in episcopatu Bremensi.

Sub Ducatu Saxoniæ situs.

Emma vidua comitatum Lesmonæ Cæsari relinquit.

mam & Lesmonam veniens ac a Dietmaro sive Theotmaro comite, Bernhardi Ducis fratre, insidiis impeditus eum duello permisit, in quo etiam occisus est. ADAM. BREM. *cap. 125. Abb. Stadens. fol. 123.* CRANZ. *l. 4. Sax. 42.* UBB. EMM. *lib. 6. rer. Frisc.* A quo tempore cum hunc & alios ad Visurgim comitatus dubia fide possideret archiepiscopus, AD. BREM. *c. 146. seqq.* tandem eum ab Agnete Imperatrice, cui in partem dotis cesserat, pro novem libris auri redemit. Tandem (inquit *Adamus*) diu desiderata Lesmona in ditionem ecclesiæ venit, quæ cortis septingentos mansos habuit, (*siebenhundert Meyer*) & maritimas Hadeloe (Hadeleriæ) regiones in ditione possedit. *c. 161. histor. eccles.* Ita totus ille tractus ad ripam orientalem Visurgis, (paucis exceptis regionibus, uti Wurdana) ab urbe Brema usque ad confluentiam Albis & Visurgis ostium Archiepiscopo Bremensi cessit; in qua confluentia maritimas Hadeloæ regiones includente unum Saxoniæ *triangulum* constituit. id. AD. BREM. *in hist. eccl. c. 1.* Et sane non erat de nihilo, cur uterque tam archiepiscopus quam Dux Saxoniæ comitatum hunc Lesmonæ tantopere ambirent, eo quod ipsa urbis Bremensis advocatia ipsi cohærere videbatur. Hæc una caussa, cur Lotharius Dux Saxoniæ (postea Imperator) pro redemtione archiepiscopi nihil aliud quam advocatiam urbis accipere vellet, de quo suo loco dictum; archiepiscopus autem a possessione vicinæ Lesmonæ exclusus, ab ipsius urbis possessione exclusus videri poterat.

Dietmarus comes in duello occisus.

Lesmonæ comitatus potentia.

Tractus orientalis Visurgis pertinens ad archiepiscopum.

Initium trianguli Saxonici in Hadeleria.

Advocatia Bremensis comitatui Lesmonæ annexa.

SECTIO XXXVI.

Ad comitatum Lesmonæ Brema cum aliis insulis pertinuit.

In hoc comitatu Lesmonæ sitam fuisse urbem Bremam ejusque terminos ad urbis muros usque porrectos fuisse, vel ex eo constat, quod etiam pascua civium ad portas urbis extensa (vulgo *die Bürger-Weyde* dicta) ad eum pertinuerunt. Hæc enim prædicta vidua Emma civibus dono dedit, quod his verbis attestatur DILICHIUS *in chron. Brem. fol. 63.* hoc an. 1032. Luderi comitis, (qui frater Benonis Saxoniæ Ducis fuerat) vidua civibus pascua dedit, quæ civium appellantur, ut procul dubio illa porta, ubi pascua sita sunt (*das Heeren-Thor* seu potius porta Dominica) inde appellationem traxerit, quod vel ad archiepiscopum vel ad comites illos pertineret. Proximas autem insulas Visurgis cum jure alluviorum, quæ in antiquis diplomatibus sub nomine paludium comprehenduntur, ad comitatum hunc pertinuisse vel nomen hodiernum arguit, quo terra ad ostia Lesmæ, ubi Visurgi influit, *Werder-Land* appellatur, vel terra insularis: *Werder* enim Saxonibus insulam denotat *art. 56. lib. 2. Land-R.* SCHNEIDEW. in *§. insula n. 7. inst. de rer. div.* quod dilucide apparet ex Henrici IV. traditione sive privilegio dato Adelberto archiepiscopo Bremensi anno 1062. in quo archiepiscopo concedit suæ proprietatis quoddam prædium, curtim scilicet, quæ vocatur Liestmuone (Lesmona) in comitatu Marchionis Udonis & in *pago Wimodi* nuncupato sitam, cum omnibus pertinentiis suis, h. e. utriusque sexus mancipiis, areis, ædificiis, agris, pascuis, pratis, terris cultis & incultis, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, venationibus, exitibus & reditibus quæsitis & inquirendis, monetis, teloniis concedit, item banni regii districtum super omnes ipsam terram inhabitantes, forestum etiam cum banno regali, & *totum pagum WIMODI CUM INSULIS BREMENSI ET LECHTER*, nec non cum paludibus &c. Idem diploma totidem verbis confirmavit Frider. I. Imp. a. 1156. sicuti utrumque exstat inter *scriptores rer. Bremensium* ERP. LINDEBR. Ecce ad comitatum Lesmonæ totus pagus Wimodi sive Wichmodiæ pertinuit, in quo non solum Visurgis fluvius ad ripam Orientalem cum omnibus ejus insulis atque omni jure regali, sed ipsa etiam urbs Brema sita fuit, ut ex prætenso privilegio Carolino fundationis episcopatus Bremensis constat. Insulas hic putamus ἐν πλάτει acceptas, ita ut per insulam Bremensem intelligatur totus ille terræ angulus, inter *Eisen-Rath* confluentiam Lesmæ & Visurgis situs, quia peninsulæ speciem repræsentat: *LECHTER* autem insula ex adverso ultra Visurgim denotat *das Lechter-Land*, quæ postea ex transactione cum Alberto archiepiscopo inita a 1366. Ottoni comiti Delmenhorstano concessit; ut & DILICH. tangit *in chron. Brem. fol. 120.* Quod si per Bremensem insulam *den Bremer-Werder* intelligere velis, tamen fateri cogeris, cum illa ad comitatum Lesmonæ pertinuerit, ipsam quoque terram continentem, in qua sita fuit Brema, pertinuisse juxta *§. insula inst. de rer. divis.* Quæ insula postea ad proprietatem civium Bremensium pervenit, ignotum quo titulo. De ea conceptus est articulus 9. in *Statut. Bremens.* a. 1303. conditis. *De Rathmanne noch keimand sol weder verkauffen, weder verlehnen weder verpfanden oder entfrembden durch einigerley Noth den Werder, welcher benedden der Brücken liegt, oder St. Andreas-Werder, welcher der Stadt ist.* Ex quibus satis clare constat, insulas Visurgis prope Bremam cum ipso flumine Visurgi ad ripam orientalem adhuc Friderici Barbarossæ & magis Henrici V. temporibus ad comitatum Lesmonæ & archiepiscopatum Bremensem pertinuisse, civibus nihil juris in ipsis habentibus.

Porta Bremensis unde Dominica dicta?

Insula Visurgis ad comitatum Lesmonæ pertinet.

ad Comitatum Lesmonæ pagus Wichmodi pertinet.

Insula Bremensis quid?

Lechter insula comitatus Delmenhorstani.

Insula Bremensis ad cives Bremenses pervenit.

Insulæ Visurgis Orientalis pertinent ad archiepiscopum.

SECTIO XXXVII.

Visurgis fluvius versus ripam occidentalem cum insulis, ad comitatum Oldenburgicum ab antiquo pertinuit.

Idem obtinuisse in altera & occidentali parte Visurgis ita quod illa una cum omnibus insulis ad comitatum Oldenburgicum & Delmenhorstanum pertinuerit naturalis ratio dictat; *ex disposit. §. insula Inst. de rer. divis.* neque enim existimari debet, comitatum hunc aliis conditionibus comitibus Oldenburgicis ab Impp. Romanis concessum esse, quam comitatus Stadensis & Lesmonæ archiepiscopis Bremensibus concessus fuit, nempe cum omnibus pertinentiis suis, hoc est utriusque sexus mancipiis, areis, ædificiis, agris, pratis, pascuis, terris cultis & incultis, aquis, aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, venationibus, exitibus & reditibus quæsitis & inquirendis, monetis, teloneis, banno regio, insulis, & paludibus &c. sicuti his clausulis investituræ & diplomata Imperialia eo tempore

Visurgis occidentalis ad comites Oldenburgicos pertinuit.

Formulæ investitur. consuetæ.

tempore edita abundant; attingit autem ripam occidentalem Visurgis non longe a Brema, *Stedingia*, comitatus Delmenhorstani ditio, quæ semper ad comites Oldenburgicos pertinuit, quousque a. 1204. contra Mauritium comitem rebellaret, ABB. STAD. *in chron. fol. 204. chron. Oldenb. lib. 1. c. 19.* quæ sive Rustringiæ olim annumerata fuerit, ut ex diplomate de a. 1332. colligitur, ubi populus Stedingiæ terræ Rustringiæ se vocat, sive separata regio fuit, insulas quoque Visurgis proximas sibi vindicavit; sicuti de Lechter insula sectione præcedenti dictum. *Rustringiæ* autem *pagus* totam occidentalem ripam Visurgis usque ad salsum mare comprehendit, sicuti eum etiam ad Visurgim collocant *ann. Franc. Astr. aut. collecti & a Justo Reübero edit. ad an. 793.* nunciatum est, copias quas Theodoricus comes per Frisiam ducebat, in PAGO RHUSTRI juxta Wiseram a Saxonibus esse interceptas; quod poeta anonymus Caroli M. sic carminice reddidit:

Comperit extinctas Theodricus Dux legiones,
Quas per Fresonum *pagum Rustri* vocitatum
Ducebat &c.

Non solum enim ex continenti terra sed etiam ex insulis *Rustringiæ* tum constitit, quarum aliquot etiam Visurgi incumbebant, inter quas fuerunt *Budjadia & Statlandia* quæ postea comitum Oldenburgensium opera continenti sunt adjunctæ, ac hodie in terram firmam coaluerunt. In Budjadia in *pago Rustri*, etiamnum superest villa *Pleccatze* (vulgo Blexen) in qua Stum. Willehadum obiisse scribunt, ADAM. BREMENS. *lib. 1. hist. eccles. 10.* ABB. STADENS. *fol. 83.* ERP. LINDENBR. *in chron. Carol. M.* MEIBOM. *de pag. Sax.* Quod unum ex quatuor primariis templis Rustringiæ statuitur *in legib. Fris. tit. von Römer-Recht.* Atque hunc pagum Rustringiæ amplissimum una cum fluminibus Jacla, Visurgi, Hetha, omnibusque insulis & paludibus ad comites Oldenburgicos ab antiquo pertinuisse, vel titulus illo tempore usitatus arguit, quo se comites *Rustringiæ & Ambriæ* indigitabant. Ita in diplomate Friderici Imperat. dato Siegfrido archiep. Brem. super cometia Stadensi an. 1180. & in confirmationem Philippi a. 1186. inter testes Elimar comes Rustringiæ & Ambriæ numeratur, quem comitem de Oldenburg vocat ABB. STADENS. *fol. 152.* qua de re latius in *prooem. chron. Oldenb.* disseritur. Quam late autem patuerit comitatus hic tempore Henrici III., colligere licet ex descriptione *Laurentii Michaelis* qui ex collectaneis *Romeri Sedishii* quæstoris quondam Jeverensis refert terminos, quos Cæsar Ultrajecti Joanni comiti Oldenburgico posuerit an. 1050. nempe a Laverea usque ad Visurgim inclusive & salsum mare cum omnibus insulis circumquaque jacentibus *dem Sachsen Eylande* Aellum *nun heilig Land*, *Wangerobe*, *neben anderen Insulen und Eylanden &c.* Ex quibus Wangeroa insula in ostio Jahdæ etiamnum ad territorium Jheveranum comiti Oldenburg. pertinet, licet insulam sanctam *heilig Land* comites Holsatiæ hodie possideant: in ipso autem flumine Visurgi insulæ occidentalis ripæ ad comites Oldenburgicos & pertinuerunt semper & adhuc pertinent: ex quibus præcipua est insula *Hammelwarder Sant*, quam Adolphus comes cum fratribus pro certa pecuniæ summa consulibus Bremensibus sub pacto retrovenditionis concessit a. 1491. sed Antonius comes postea recepit *chron. Oldenb. lib. 3. c. 9.* in cujus juris possessione prædicti comites pactis cum ipsa civitate Bremensi initis a. 1576. confirmati sunt hisce verbis: *Ob neue Insulen und Sante in der Weser sich aufwerffen würden, die sollen desjenigen seyn, des Land sie zu nächst berühren.* Si ergo insulæ Visurgis ab Henrici IV. temporibus usque in hodiernum diem ad pagum Rustringiæ & comites Oldenburgicos pertinuerunt eorumque propriæ fuerunt, non potuit non etiam fluminis intercedens alveus cum jurisdictione atque omni jure regali ad eosdem pertinuisse, cum medium sapiat naturam extremorum. Unde quando sunt certi termini deputati, omnia sub illis contenta debent uno & eodem jure censeri, VALASC. *de jur. emphyt. quæst. 51. n. 11.* neque præsumi potest, cum in possessione comitatus Rustringiæ comites Oldenburgici Henrici V. temporibus hæreditario jure fuerint, Imperatorem ipsos regali jure privare voluisse, quod ne fieri quidem sine insigni injuria poterat, sed potius & multo fortius hinc arguitur falsitas prætensi diplomatis Henricani, cujus autor de alieno admodum liberalis fuit, juxta proverbium, ex alieno corio latissimas corrigias faciens, quod furti speciem sapere dixit JCtus, *in l. si pignori ff. de furtis.*

Stedinga, Comitum Oldenburgicorum ditio.

Stedingia an ad Rustringiam pertinuerit?

Pagus Rustringiæ continet occidentalem ripam Visurgis.

Budjadia & Statlandia Rustringiæ insulæ.

Pleccatza villa Rustringiæ.

Pagus Rustringiæ Comitum Oldenburgicorum proprius.

Comitatus Oldenburgici amplitudo.

Insulæ ad Rustringiam pertinentes.

Pacta comitum Oldenburgicorum & civium Bremensium.

SECTIO XXXVIII.

An civitas Bremensis extra moenia jurisdictionem criminalem & regalia habuerit?

Quod si ad vitanda hæc obstacula dicere velis, cives Bremenses jurisdictionem criminalem quidem in urbe non habuisse, quippe quæ ad advocatiam archiepiscopi pertinuit, habuisse tamen in flumine Visurgi super piratas, eodemque modo regalia in flumine Visurgi dividere & archiepiscopo tantum in urbe illa relinquere velis; longe majori absurdo te implicaveris, eo quod civitas jurisdictionem non habens, non possit etiam territorium habere, cum hoc respectu illius dicatur, *l. 239. §. territor. ff. d. v. sign. l. fin. de jurisd.* Nota est hac de re disput. ANDR. KNICH., qui in *tr. de jure territorial. & in velit. apolog.* contra JO. DAUTH. multis argumentis hanc sententiam confirmat, ne liberas quidem Imperii civitates jura territorialia habere; a quo licet alii dissentiant & jura quidem territorialia, non autem annexam dignitatem principalem, *die Lands-Obrigkeit, nicht aber die Lands-Fürstliche Obrigkeit* civitatibus Imperialibus tribuant. CLUTEN. *in syllog. rer. quotid. thes. 27.* tamen tota hæc disputatio ad hodiernum Imperii & civitatum statum & ad nostra non ad superiora tempora pertinet: nam ex superioribus certum est, neutrum habuisse civitatem Bremensem Henrici V. tempore. Et annon ridiculum est asserere, *Bremam urbem in flumine Visurgi usque ad salsum mare per quindecim milliaria germanica & ultra jurisdictionem criminalem habuisse, quam intra moenia non habuit?* cum argumentum a minori ad majus negative quidem, sed non affirmative concludat. EBERH. *in topic. in loco a minor.*

Territorium dicitur respectu jurisdictionis.

Andr. Knich. disp.

minor. quis crederet urbem domi ſervam, ac archiepiſcopo ejusque advocato ſubditam foris dominam potentiſſimam fuiſſe ac in alieno territorio jura regalia poſſediſſe, cum, qui in alterius poteſtate eſt, nihil proprii habere poſſit *l. 10. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* Quod autem veriſimile non eſt, id ſpeciem falſitatis habet *l. ſi ita quis ff. de evict.* RASIUS *lib. 2. conſ. 4. n. 3.* CRAVETT. *conſ. 654. n. ult.* MARC. ANTHON. *de* AMAT. *deciſ. 60. n. ult.* Maneat ergo, urbem Bremenſem Henrici V. tempore, nec domi, nec foris jurisdictionem vel regalia ulla habuiſſe, ſed ea ad alios pertinuiſſe, ut dictum. vide *aſſert. libert. reipubl. Brem. p. 271.* CRUSIUM *de prærogativ. p. 791.*

SECTIO XXXIX.

Fabula chronici Bremenſis de Henrici V. expeditione in Palæſtinam.

Falſitatis argumentum nobis ſuppeditat falſa cauſa expeditionis Hieroſolymitanæ, prætenſo diplomati craſſiſſima autoris inſcitia inſerta, quaſi ad illam quoque cives Bremenſes non parum contulerint. Quamvis vero plures diverſis temporibus expeditiones pro recuperatione terræ ſanctæ ſive Palæſtinæ inſtitutæ fuerint; tamen prima & celebrior ſub Henrico IV. a. 1095. & ſequentibus contigit, in qua etiam capta urbe Hieroſolymitana Gothofridus Dux Lotharingiæ ſive Bullionius primus Rex eſt conſtitutus an. 1099. juxta verſiculos:

Diverſæ expeditiones in Palæſtinam.

Urbs Hieroſolyma capta.

Anno milleno centeno ſed minus uno
Jeruſalem ſcribo captam Duce ſub Gothofrido.

Henricus V. Palæſtinam non intravit.

Poſtea novi quidem illuc miſſi ſunt exercitus, Balduino fratre regnum Hieroſolymitanum tenente, ipſe tamen Imperator Henricus V. iter illud nunquam ingreſſus eſt, & tamen *Henricus Wolterus in chron. Brem. MSCt.* celebrem ejus expeditionem ſub a. MCXI. quo prætenſum Henrici V. diploma civitati datum fingitur, hiſce verbis deſcripſit, quæ apponemus: A. D. MCXI. Papa & Cæſar cum principibus concordabatur inire paſſagium ad terram ſanctam Jeroſolymis cum rege Franciæ & cum omnibus principibus ſpiritualibus & ſecularibus totius chriſtianitatis juxta concilium Gothfridi de Bullion & per terram & maria lucrandi eandem, & Papa cum Imperatore conſtituit reges, archiepiſcopos Duces, epiſcopos, comites & Barones ad certam quotam armigerûm; tunc archiepiſcopus Bremenſis cum ſibi ſubjectis comitibus & Baronibus taxabatur ad magnam congregationem armigerûm & populorum tam equeſter quam navigabiliter per terras & maria peditum & equitum, tunc etiam ad terram ſanctam ſe præparaverunt quidam conſules & cives Bremenſes pro amore Dei & eccleſiæ propriis ſumtibus & expenſis *Dn. Luderus de Verda* Conſul Bremenſis, Dn. *Garberus de Waga* & Dn. *Luderus de Linche*, Conſules. *Joann. Inckſals, Gerhardus Friſons, Detbmarus Richmerdus, Albertus Hilwardi, Hermannus de Hare, Gerhardus* filius ejus, *Albertus, Bernhardus, Nachenedle, Gerhardus circa curiam, Henricus de Tivera, Henricus Brunshanen, Sigfridus Willelhes* & *Joann. Wolmanni* cives Bremenſes; quorum pauperior annuatim habuit in Brema & extra reditus ducentarum (alius 134.) marcarum Bremenſium optimæ in granis & valore monetæ groſſorum Turonenſium; & ipſi in navigio venerunt ad terram ſanctam & in inſignia militaria pro civitate Bremenſi colorem varium & aurum deferre a Cæſare promeruerunt eorum meritis & conſtantia, & reverſi ſunt omnes, demtis duobus de terra ſancta, ſcilicet Gerhardo Freſen & Alberto circa libram &c. hæc & plura alia nugatoria illic, ut & in chronicis Bremenſibus vernaculis habentur, quæ, licet in pleriſque chronologiæ & hiſtoricæ veritati e diametro adverſentur, ſicuti tangit etiam *Herm. Hamelmann. in chron. Oldenb. lib. 1. c. 17.*; tamen autor prætenſi diplomatis fabulæ huic innixus, occaſionem inde ſumſit, qua ſuppoſititia hæc privilegia Henrico V. adſcriberet, atque ita quidem, ut etiam ann. IIII. retinuerit, licet expeditionem ipſam Bremenſium Henrici IV. temporibus adſcribat; de qua contradictione ut & aliis quamplurimis dum ipſi inter ſe tranſigunt, de tota hac expeditione Bremenſi idem dicimus, quod de Caroli M. expeditione contra Saracenos, ait ROBERT. GANGVIN. *lib. 4. hiſt.* hæc deliramenta ſunt magis vetularum, quam hominum ſcite & diligenter narrationem texentium.

Expeditio Conſulum & civium Bremenſium.

Inſignia Bremenſis civitatis promerita.

Diploma Henricianum ex fabulis Bremenſibus conſutum.

SECTIO XL.

Bremenſium expeditio a nullo fide digno hiſtorico attingitur.

Nolumus autem momenta ſingula curioſius perſequi ſed hoc tantum obſervari petimus, quod primam hanc expeditionem ſub Duce Gothofrido & fratribus Balduino & Euſtachio inſtitutam tot fide digni ſcriptores copioſiſſime in litteras retulerunt. Ita enim *Fuchertus* ſive Fulcerius Carnotenſis Balduini regis capellanus ejusdem res geſtas accurate deſcripſit, *Baldericus* autem ex Burgalenſi Abbate archiepiſcopus Polenſis, omnia & ſingula tanta curioſitate in literas retulit, ut etiam diarium inſeruerit, quid unoquoque die actum & per quas regiones iter inſtitutum ſit, ex quo quædam referuntur in *magno Chron. Belgic.* Robertus quoque monachus de eadem profectione octo libros ſcriptos reliquit, ſed & *Wilhelmus Tyrius* archiepiſcopus ſcriptores aliquot in unum volumen collegit, in quo tota hæc hiſtoria pleniſſime deſcripta continetur. Exſtat etiam chronicon Hieroſolymitanum incerti autoris, quod REINERUS REINECCIUS edidit & commentariis illuſtravit, in quibus omnibus cum nihil de archiepiſcopi Bremenſis multo minus civium expeditione inſtituta reperiatur, quis vaniſſimis & tempori contrariis Bremenſium chronicis MSCt. fidem adhiberet? præſertim cum in impreſſis & nuper a LINDEBROG. editis EPISCOPOR. BREMENS. *annalibus* nulla hujus paſſagii fiat mentio; & ipſe ALBERTUS ABBAS STADENSIS curioſiſſimus rerum Bremenſium indagator, licet Gothofridi expeditionem ſatis copioſe deſcribat fol. 102 & ſeqq. de his tamen Bremenſium meritis nihil attingit; neque ALB. CRANZ. fidelis Abbatis imitator & relator, ullum additamentum METROP. ſuæ apponit; ſed & HELMOLDUS ejusque CONTINUAT. ARNOLD LUBIC. cum & ipſi multi ſint in deſcriptione expeditionis Hieroſolymitanæ, in hac tamen Bremenſi expeditione magis muti ſunt quam piſces; neque potuiſſent latere Bremenſes cum tam multas

Expeditiones in Palæſtinam a multis deſcriptæ.

Wilhelm. Tyrii opera.

Chronic. Hieroſolymit. Reiner. Reinecc.

tas deificas & fideles virilitates in hoc bello præstitisse fingantur, quantas nulli alii, ut credibile non sit heroica & hominum fidem excedentia facta scriptores ejus temporis fallere potuisse.

SECTIO XLI.

Sub Gothfrido Bullionio navalis expeditio in Palæstinam instituta non est.

Præterea manifestæ vanitatis reum se facit autor, dum asserit, cives Bremenses & per terram & per mare suis navibus expeditioni Hierosolymitanæ interfuisse; quia ex supra citatis autoribus constat, nullam navalem expeditionem tempore Henrici IV. & V. ex Germania in terram sanctam susceptam esse, sed totum exercitum Germanorum per Hungariam transiisse, ubi etiam plurimi eorum ab Hungaris sunt occisi. WILHELM. TURIUS *lib.1. c. 28. & seqq. chron. Hierosolymit.* REINECCIUS *lib.1. c.7. chron. Aug.* FREHER ad an. 1096. ROBERT. MONACH. *lib.1.* ibi: Gothfridus cum fratribus & magna manu militum peditumque per Hungariam iter arripuit, eamque ob causam Gothefridus Dux cum exercitu in Austria aliquamdiu commoratus pacem cum Rege Hungariæ pro transitu fecit, *chron. Hierosolymit. lib. 2. cap.1.* & seqq: eadem via etiam Italiæ principes transierunt a. 1102. *dict. chron. Hierosolym. lib. 8. c. 1.* & utut forte ex Gallia & Italia nonnulli mare superum classe transmisissent, quid id ad Bremenses ex nostro oceano illuc tendentes? quodnam iter ingressi sunt? an recta in Palæstinam per angustias Hispaniæ quæ vulgo strata de Gibralterra dicuntur, contenderunt, ubi tum in terram egressi sunt portibus ac civitatibus maritimis omnibus adhuc a Saracenis occupatis; si in mari mediterraneo aliqui ad terram appulerunt, ubi se reliquo exercitui christianorum adjunxerunt? ubi reliquerunt naves, dum in terram exirent, ut postea reversi eas recipere potuerint? an forte per siccum eas transportarunt, ut est exemplum in *chron. Hierosolymit. lib. 2. c. 32.*

Sub Henrico nulla navalis expeditio suscepta.

Gotfridi exercitus per Hungariam transit.

Incredibilia Bremensium paradoxa.

Nimirum stultus labor est ineptiarum,
Quæcunque ostendis mihi sic, incredulus odi,

inquiunt Poetæ. Quam multa requirantur ad passagium in terram sanctam per mare vid. apud HAYTHON. in *hist. Orient. c. 59.* neque minus periculosa est via, si quis modo per terram, modo per mare illuc eat; quomodo poeta anonymus describit iter monachi Hierosolymitani ad Carolum M. missi ad a. 799:

difficultas itineris marini.

Monachi Hierosolymitani legatio.

Tunc Hierosolyma monachus directus ab urbe
Immenso nimium spatio terræquæ marisque
Transcurso, &.

Magis mirum est, quomodo soli Bremenses salvi illinc redierint duobus tantum amissis, cum ex innumerabili hominum multitudine vix millesimus reversus sit, integro exercitu nunc hostili gladio, nunc peste, fame ac siti extincto. Quo pertinet gemitus Imperatoris Constantinopolitani comperto numero cruce signatorum prævidens eos in patriam non reversuros; quod tristis eventus comprobavit, de quo HELMOLD. *lib.1. chron. Slav.* in uno a. 1102. a Turcis cæsa sunt centum & sexaginta millia christianorum. *chron. Hierosolym. lib. 8. c. 21.* & de classe, quæ prope Cyprum hyemaverat, scribit *chron. Hierosolym. lib. 12. cap. 16.* sic tota illa congregatio christianorum cum universa suppellectile misera submersione absorberetur, nulli evaserunt præter duas Buzas (genus navium) quæ de numero tredecim navium erant. Nimirum hæc illa speciosa sunt merita civium Bremensium, quæ, ut fidem liberalitati Cæsaris faciat, dum nimis exaggerat autor, incaute eorunden falsitatem detegit. Posset hic opponi, quod de Frisiorum expeditione maritima ex nescio quibus commentariis retulit UBBO EMM. *lib. 6. rer. Fris.* nisi ipse Emmius fateretur, se istis commentariis in omnibus promiscue fidem non adhibere: potest enim esse, ut ex eodem fictionis penu utrumque prodierit, unus æque autor alterius fabulam imitatus fuerit, eo magis quod in iisdem commentariis ad an. 1119. similis quædam expeditio nobilium quorundam Frisiæ, quæ illic recensetur, prodita est, ex quibus duo tandem post varias clades domum salvi redierint: hujus enim narrationis fidem dum autori relinquat Emmius, certe de narratione Bremensi plus fidei præsupponi non potest; Ceterum longo demum tempore post e Germania in Palæstinam navalis quædam expeditio suscepta est anno scil. 1147., quam a Rheno in Hispaniam usque descripsit DODECH. *Abb. in append. ad Marian. Scot.* HELMOLD. *lib. 1. Chron. Slav. 26.* item alia ab Henrico VI. *1197.* quam descripsit Cranz. hisce verbis: navalis exercitus sub Hartwicho archiepiscopo Bremensi mare tenebat occiduum; inerant Dani, Frisii, Lubecens. Bremensesq; per littora maris Britannici Hispaniam prætervecti Siciliam insulam tetigerunt, ad Messanam urbem considentes; ibi junctis armis, sub signis Christi contendunt in expeditionem ordinatam *lib. 6. Saxon. 9.* Idem confirmant *annal. archiep. Brem. in Hartwicho 2. Alb. Abb. Stad. ad a. 1197. Arnold Lubec. in contin. chron. Slav. lib. 3. c. 36. & lib. 5. c. 1.* & seqq. hæc illa est archiepiscopi Bremensis expeditio prætenso privilegio Henricano 86. annis posterior, cui tam per mare quam per terram cives Bremenses interfuisse dicuntur, quam autor falsi diplomatis ad anteriora Henrici IV. tempora retrotrahere, ut æddituus horologium solet, inani & ridicula præsumtione attentavit. Quod si posterior hæc expeditio Bremensium sub Hartwicho a tot autoribus in litteras relata est, qui factum est, quod illius sub Henrico V. ne unus quidem meminit, præsertim cum in priori tam multas deificas virtutes perpetraverint Bremenses.

Clades christianorum in Asia accepta.

Imperatoris Græcorum vaticinium.

Classis naufragium prope Cyprum.

Commendatio meritorum Bremensium.

Fabula expeditionis Friscæ.

Navalis expeditio in Palæstinam sub Henrico VI.

Expeditio navalis priori 86. annis posterior.

SECTIO XLII.

Comparatio meritorum Bremensium cum meritis vicinorum.

Sed esto, seponamus hanc temporis notam & expeditionem illam Bremensium posteriorem Henrici IV. vel V. temporibus factam esse fingamus (quod fieri tamen per rerum naturam nullo modo potest) quid inde? an tanti existimanda sunt fuisse merita civium Bremensium, quod propter illa privilegium civitati concessum fuerit non solum vicinis Frisiis, sed ipsi etiam archiepiscopo Bremensi propter ademtam Visurgis fluminis jurisdictionem noxium? neutiquam:

Archi-

Archiepiscopus Dux navalis expeditionis.

Archiepiscopus enim caput illius expeditionis fuerat, cui, utpote Duci plura deberi quam militibus notum est: sed & Frisii non minus quam Bremenses expeditioni illi ut commilitones interfuisse dicuntur ut merito Imperator ob oculos habiturus fuisset proverbium: Altare unum non debet detegi, ut cooperiatur alterum; nec uni ita favendum est, ut alteri injuria inferatur. Quodsi comparatio institueretur, etiam ex veris historiis demonstrari posset, quam bene erga Romanum Imperium meriti fuerint *Comites Oldenburgici* eorumque subditi *Frisii Rustringi* jam inde a Carolo M. quando civium Bremensium nomen ne notum quidem esset. Frisii enim Caroli M. expeditioni in Italiam sub eorum signifero Alvone, qui arcem Alvenslevienſem ædificavit, interfuerunt LINDEBR. in *chron. Caroli M. fol. 196.* Iidem in exercitu Caroli M. contra Hunnos militarunt a. 791. item classe Albim intrantes Carolo M. contra Sclavos auxilium tulere anno 789. *annal. Fuld. Reg. lib. 2.* Sed & Frisii a. 1083. Henrici IV. partes & signa sequuti Islebiam urbem obsederunt, ubi plurimi eorum ab Hermanno Poraceo rege, ut contemptim appellarunt, cæsi nomen plateæ *der Fressen-Strasse* dederunt, PETR. BERT. *lib. 3. comm. in Isleb.* & quæ plura alia hic cumulari possent. Contra sicuti Bremensium nulla mentio in anterioribus scriptoribus & expeditionibus occurrit, ita maxime notandum est, quod Henricus V. naturali quadam antipathia a patre acceptum odium in Saxones continuarit, eosque aperto bello prosecutus sit; quod bellum licet postea eruperit, tamen a primo statim initio Imperii male ipsum in Saxones animatum fuisse non dissimulat CRANZ. *lib. 5. Sax. 34.* Quis ergo crederet, Henricum V. Bremensibus tam munifica dedisse privilegia, cum in universos Saxones irato fuerit animo? itaque remotis falsis & suppositiis hisce meritis etiam ipsa liberalitas remuneratoria removetur; & privilegium ex falsa causa concessum omnino est invalidum, *C. porrecta X. de confirm. util. & inutil. Gail. lib. 2. Observ. I.*

Comitum Oldenburgicor. & Rustringorum merita.

Frisii in castris Henrici IV. commorati.

Henrici V. odium in Saxones.

SECTIO XLIII.

Contradictio privilegii Carolini & Henricani.

Nona falsitatis nota ex similitudine vel potius contradictione privilegii Carolini & Henricani deprehenditur: ex quo enim eadem privilegia Carolina postea Henrico V. Imp. tribuuntur, inde inevitabilem contradictionem nasci oportet, quæ semper falsitatem & mendacium implicat. Quo argumento Procurator episcopi Mediolanensis contra Abbatem de Scozula usus, in casu plane simili falsitatem bullæ Henricanæ demonstrat, *in C. ad audientiam II. X. de fid. instr.* Neque alia est horum diplomatum ratio: nam si Carolus M. omnia & singula privilegia, quæ ipsi in chronico Bremensi adscribuntur, concessit, non potuit eadem de novo concedere Henricus V. propter notissima juris principia, nemo potest accipere, quod jam habet, & quod meum est, non amplius potest fieri meum. Si vero Henricus V. primum de novo concessit, falsum est, quod in prætenso diplomate Henricano dicitur de Caroli M. concessione ad instantiam Willehadi facta; Falsum item, quicquid in chronicis Bremensibus de antiquitate Caroli M. magnifice prædicatur & ad pompam jactatur: eoque facile colligi potest, quid de fide & autoritate annalium Bremensium utpote in manifesta vanitate deprehensorum in aliis quoque sit sentiendum. Ita fieri non potest, quin unius contrarii positio alterius positionem destruat & mendacii arguat; neque possunt Bremenses alterutrum elidendo se non falsi obstringere. Quod si dicas, confirmasse saltem Henricum V. Caroli M. & prædecessorum privilegia, licet reclament verba: Insuper damus & concedimus &c. eo ipso fatearis necesse est confirmationem nihil novi juris concedere, sed vetera jura tantummodo confirmare. *Gail. l. 2. obs. 1.* SCHRADER. *de feud. part. 6. c. 3. n. 30.* ROSENTH. *de feudis c. 6. concl. 68. n. 1. in gloss. lit. B.* unde ulterius sequi oportet, confirmationem præsupponere jus confirmabile MODESTIN. PISTOR. *consil. 40. n. 52. Vol. 2.* illudque jam ante exstitisse, hoc est rem confirmatam esse deductam TIBER. DECIAN. *Resp. 22. Vol. 1. n. 31.* MENOCH. *cons. 402. n. 27. & ibi allegg.* quia quod non est, confirmari non potest JO. PETR. SURD. *de alim. tit. 1. quæst. 42. n. 117.* Hinc est, quod concessionis instrumentum primævum seu originale privilegiorum validandæ confirmationi pedes figit, ut nisi de eo constet, confirmatio sit nulla WESEMB. *cons. 4. n. 48. Vol. 1.* quia confirmatio non est actus per se stans, quare per se confirmatum non probat, HARTM. HARTM. *in miscell. c. 1. observ. 3. n. 2.* Et semper referens regulatur secundum suum relatum CACHERAN. *decis. 110. n. 3.* neque potest plus esse in referente, quam est in relato WESEMB. *cons. 2. n. 8. Vol. 1.* ut propterea multum conducat instrumento, confirmationis tenorem anterioris privilegii inseruisse, MASCARD. *de prob. concl. 404. n. 1.* vel si hoc non fiat, saltem addatur clausula: ac si omnia ac singula sint inserta, ut in privilegio *Mind. tom. 1. Pist. fol 750.* Jam autem Caroli M. & successorum privilegia nullibi, nisi in jactatione vulgi exstant; alioqui si exstarent, non minus Henrici V. diplomati, quam Henricanum diploma Wilhelmi & Wenceslai confirmationi integraliter inserta fuissent; imo nullum diploma ex omnibus hactenus in originali prolatum est, sed solum exemplar transumti diplomatis Wenceslai & Bremensium advocato in camera aliquando productum est, quod plenam fidem non facere tralatitium est.

Confirmatio nihil novi juris tribuit.

Referens regulatur secundum relatum.

Caroli M. privilegia nullibi exstant.

Privilegia Bremensia nunquam originaliter exhibita.

SECTIO XLIV.

Confirmatio non successive, sed per saltum petita, suspecta est.

Decimo confirmatur id ex eo, quod prætensa confirmatio non successive a subsequentibus, post Henricum V. Impp. videlicet Lothario II. Conrado II. Friderico I. & cæteris: sed per saltum & ex longissimo temporis intervallo a Guilhelmo & Wenceslao Impp demum facta esse dicitur. Quod si verum diploma Henrici V. fuit, cur non ab ejus successore Lothario Saxone confirmationem impetrarunt cives Bremenses, cum hic bene ipsis notus fuerit, eo quod in ipsa urbe Bremensi

Lotharius Imp. advocatus Bremensis fuit.

mensi advocatiam ab Archiepiscopo acceptam possideret, eoque facile aditum ad ipsum habere potuissent. An forte is noluit confirmare privilegium, quod in suum quoque præjudicium emanaverat, cur non a Conrado II. qui Alberto Marchioni Ducatum Saxoniæ confirmavit. Quo jure Albertus inter alia etiam Bremam occupavit CRANZ. *lib. 6. Sax. 7.* cur non a Friderico Barbarossa, qui Sigfrido archiepiscopo Bremensi *cometiam Stadensem* Henrico Leoni ademtam in solemni curia Erfordiæ concessit? CRANZ. *lib. 6. Saxon. 23.* Exstat diploma de *a. 1180.* VII. Cal. Sept. inter privilegia ecclesiæ Hamburgensis: denique cur non ab Henrico VII, ad cujus litteras super retentione redituum Hartwici Archiepiscopi Bremensis provocant? apud CRANZ. *7. Sax. 7.* Ab hisce & aliis Impp. cum archiepiscopi Bremenses privilegiorum suorum confirmationes successive impetrarint, sicuti eas reddidit ERP. LINDENBR., cur non & cives Bremenses eundem ordinem servarunt eosdemque Imperatores pro confirmatione privilegiorum suorum compellarunt, præsertim cum bene istis noti essent cives? cur consueto ordine intermisso ad extraordinarium hunc saltum more pugilum hinc inde discursantium descenderunt? nonne Spirenses apud Lehmannum Henrici V. diploma a subsequentibus Impp. confirmari curarunt? nimirum digni sunt Bremenses, in quos sententia ab Imperatore feratur, qualem Urbanus Papa in simili in fratres minores protulit, teste *Eberh. in topic. in loc. ab ord.* Fratres, *pervertistis ordinem, ergo & ego ordinem pervertam & nullam ex bullis vestris pro legitima agnoscam:* & hoc multo magis propter insignem eorundem variationem, quæ fidem testis maxime enervat & suspectam facit, FARINAC. *lib. 2. de oppos. contr. pers. & dict. test. quæst. 47. n. 127.* & illusionem sapit, quæ non admittitur *C. cum variat. X. de dolo & contum.* sic enim scribit DILICHIUS *in chron. Brem. fol. 73.* hoc anno *1168.* civitas a Cæsare Friderico Barbarossa obtinuit confirmationem privilegiorum, quæ a Carolo M. Willehadus impetraverat? Hoc si verum est, cur Henrici V. diploma omissum, cum illi Friderici confirmatio non parum roboris addere potuisset? an quia tum nondum fuit natum diploma Henricanum? cur Friderici quoque confirmatio in Wilhelmi & Wenceslai confirmationibus præterita? cur hæc Friderici I. privilegia produxerunt nunquam Bremenses? an forte unum alteri contrarium est, an potius illudere nobis volunt diversis hisce & semet ipsa destruentibus privilegiis: alterutrum ex his; ipsi eligant.

Friderici I. diploma Archiepiscopo datum.

Archiepiscopi Bremenses confirmationes successive impetrarunt.

Variatio Bremensium circa privilegia.

SECTIO XLV.

Ex pluribus diplomatis connexis uno falso, alterum quoque falsum præsumitur.

Undecimo & ultimo: ex quo jam ex superioribus certum & evictum est, non solum Caroli M. jactata privilegia sed ipsum etiam Henricanum diploma falsum, spurium & suppositititium foetum esse, facile est conjicere, quid de Wilhelmi & Wenceslai Impp. posteriorum prætensis confirmationibus sit sentiendum? nimirum quod comicus ait: unum noris, omnes noris. & de connexis idem judicium; & similes fratres similia quoque caputia gestant, quia semel malus semper præsumitur talis in eodem genere delicti per vulgata. Unde testis in parte falsus in totum reputatur falsus, præsertim si falsum dixerit in substantialibus, veluti in tempore & loco, & instrumentum pro parte falsum totum falsum præsumitur, quia ex vicinis vicina colligimus. Quod multo magis dicendum de Wilhelmi & Wenceslai confirmationibus, quorum ille per discordiam principum electus turbatis Imperii rebus; hic propter inordinatam administrationem imperio privatus, ut postea dicemus. Ipsæ confirmationes nec in solemni curia obtentæ nec aliquibus testibus munitæ sunt; cum tamen ad validitatem privilegiorum & diplomatum veterum utrumque requiratur. Imperatores enim leges ac privilegia in comitiis ac solemni curia proferre solebant exquisitis principum sententiis, quia leges debent ferri cum consilio nobiliorum *gloss. ad prooem. spec. Sax.* & privilegia irroganda sunt cum consilio principum RUTG. RULAND. *lib. 2. de comm. part. 2. de interr. c. 4. n. 17.* Unde etiam leges curiatæ dictæ; de quibus FREHERUS *ad const. Adolphi Imp.* ubi hunc morem commendat fol. 14. Ita Imp. Frideric. apud GUNTHER.

Tempore Wilhelmi & Wenceslai res Imperii turbatæ.

Vestris cupido disponere cuncta
Consiliis.

Atque illi ipsi principes sive ecclesiastici sive seculares sive etiam inferioris ordinis ministeriales, qui curiæ forte intererant tanquam testes, diplomatibus inserebantur; quod ita non solum in antiquis Impp. privilegiis observatum reperimus, sed etiam in ipsis Wilhelmi & Wenceslai constitutionibus apud GOLDASTUM, quæ & ipsæ quoque testes adscriptos habent, idque majoris fidei & certitudinis ergo, ne falsitati & fraudibus via pateret, cum alioquin sigilla a scriniariis facile surripi aut ab aliis apponi possent. Ita enim & notariorum & privatorum instrumenta ad plenam fidem faciendam etiam testes desiderant *Nov. 73. c. 2. & 5. l. Scripturas C. qui potiores in pignore. Gail. lib. 2. obs. 250. n. 10.* RULAND. *de commiss. lib. 2. p. 2. c. 11.* SPIG. *ad Günther. lib. 5. in verb. sigillo.* cur ergo hoc in hisce diplomatibus non observatum? nimirum, quia autor, vel historiarum ita imperitus fuit, quod testes ex iis colligere non potuerit, vel fortasse timuit, ne sibi accideret, quod in Henricano diplomate ipsi contigisse dicemus: itaque ut tandem concludamus, dicimus: omnibus istis prætensis privilegiis Bremensium, nihil solidæ veritatis subesse, sed meras esse imposturas, falsitates & suppositiones quibus non solum vicini principes & civitates, sed ipsi etiam posteriores Impp. misere hactenus sunt decepti & illusi.

Principes protestibus diplomatis inserti.

SECTIO XLVI.

Quo tempore & occasione falsa hæc diplomata conficta sint.

Quo tempore autem quave occasione prætensa hæc diplomata conficta sint licet apodicticis argumentis demonstrari exacte nequeat, tamen ἐν πλάτει ex probabilibus conjecturis colligere sagaci & industrio homini difficile non est antiquissimo tempore & sub primi episcopatus Bremensis

mensis initio Carolina privilegia ignota fuisse facillime obtinetur, cum ne ipsa quidem urbs lucem aspexerit; sed nec divus Ancharius quartus Bremensium episcopus vel quisquis est autor, qui Legendam S. Willehadi I. episcopi descripsit, nullius privilegii civitati Bremensi impetrati mentionem facit, non omissurus id, quod ad laudem ejusdem Willehadi & amorem civium erga suos episcopos conciliandum plurimum facere poterat. Atque hoc est antiquissimum scriptum, quod Bremenses de institutione suæ ecclesiæ habent neque antiquius proferre possunt. Ea adjutus M. ADAM. *Bremens.* Adalberti archiepiscopi Bremensis canonicus primus historiam ecclesiasticam episcoporum Bremensium sub Henrico IV. digerere coepit, sed de Carolino privilegio urbi dato nullam notitiam habuit, licet omnia, quæcunque ad exaltationem ecclesiæ & urbis Bremensis facere poterant, curiosissime conquisiverit, ita quidem, ut alicubi nec a fabulis omnino abstineat. Eum ALB. *Abb. Stad.* & ALBERT. CRANZ. *canonicus Hamburg.* ita sequuntur, ut antiquiora omnia ipsi accepta ferant; sed cum hi duo histor. eccles. Bremensium diu post Henrici V. imperium ad sua usque tempora continuent, & CRANZ., quæ de rebus politicis in Metropoli omisit, ea in Saxonia suppleat, quis credat prætensi hujus diplomatis Henricani mentionem eos omissuros fuisse, si de eo quicquam compertum habuissent vel per rumorem inaudissent: sed neque Helmoldus Presbyter Buzoviensis neque ejus continuator Arnold. Lubecensis in descriptione rer. Vandalicar. res Bremensium facile prætereunt, eo quod Slavorum episcopi ad Metropolitanum Hamburgensem & Bremensem in spiritualibus respicerent; neque tamen in hæc jactata privilegia ullibi incidunt. Sed nec historia archiepiscoporum Bremensium incerti autoris a Carolo M. usque ad Carolum IV. satis copiose deducta, sicuti eam nuper edidit *Erpoldus Lindenbrock*, de ullo civitatis privilegio sive Carolino sive Henricano quicquam compertum habuit, multo minus inter diplomata Hamburgensi & Bremensi ecclesiæ a diversis Impp. jam inde a Ludovico Pio usque ad Wenceslaum concessa, saltis hisce diplomatibus confessus tributus; cum tamen inter illa plurima sint, quæ ad urbis Bremensis jura quoque pertineant. A. 1303. condita sunt statuta civitatis Bremensis; ex quibus ne illo quidem tempore privilegia hæc viguisse colligi potest; quin ipse *Henricus Wolterus* Canonicus Bremensis qui a. 1435. chronicon aliquod MSCt. ex 5. allegatis autoribus collegit, neque res civitatis omisit, sed præcipuas annotavit, hac tamen in parte tacitum egit, neque inter privilegia episcopatus Bremensis, quorum aliquot ipse collegit, falsa hæc diplomata recensuit. Et licet ad A. C MCXI. referat fabulam de expeditione civium Bremensium in Palæstinam de qua supra Sect. 39., tamen nulla alia privilegia illi adscribit, quam quod cingulum militare meruerint cives indubie illa non omissurus, si Henricanum diploma tum in rerum natura fuisset. Ceterum in *chronico Bremensi* vernaculo, quod nostro tempore edidit ERPOLD. LINDEBR. *Hamburgens.* ex quo epitomen aliquam in latinum transtulit *Guilhelm. Dilichius* privilegia tam Carolina, quam Henricana omnium primo jactantur & inculcantur; hoc autem vernaculum chronicon, quod manuscriptum Bremæ civium manibus teritur, ab Herborto *Schönen* cellario cathedralis ecclesiæ & canonico D. Anscharii & Gerhardo Reinesberg vicario ex 5. citatis latinis autoribus in germanicum idioma a. 1540. dicitur in prooemio ibid. Merito ergo mireris, qui fiat, quod plus in rivulis hisce contineatur, quam in copiosissimis istis fontibus, cum sit notum boni interpretis officium, ex Horatio

Et verbum verbo curabit reddere fidus
Interpres. &c.

neque possit plus esse in referente, quam est in relato, ut supra probatum. Unde hæc tam copiosa accessio privilegiorum prodiit? an hi posteriores non historici, sed interpretes, plus de rebus gestis Caroli M. vel Henrici V. compertum habuerunt, quam illi anteriores, vel coætanei vel certe propiores & magis fide digni, de quibus notus est versiculus:

Purius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Nimirum quia interea temporis, quod inter Latinos istos scriptores & Germanici chronici versionem intercedit, prætensa hæc privilegia surrepserunt, quod post Caroli IV. tempora factum esse evincunt res in prætensis privilegiis expressæ, quæ *Caroli IV.* tempore usitatæ antea adhuc ignotæ fuerunt; ac potest esse, quod unus & idem autor tam Henricani diplomatis quam confirmationum Guilhelmi & Wenceslai fuerit. Certe stilus omnium non dissimilis est. Et utut forte Wenceslai confirmatio suppositicia non sit, tamen quid de ea sit sentiendum, inferius dicemus; Illud certum nobis est, & Henrici V. & Guilhelmi diplomata suppositicia esse, quod sigilla si dignoscantur, dilucide probabunt. Cum ergo Caroli IV. ætatem redoleant prætensa privilegia, factum est, quod posteri antiquitatis gloriam affectantes vel etiam ex errore & imperitia ad Carolum M. eadem retulerint, juxta illud:

Omnia post obitum fingit majora voluptas.

Et simile quid autori Frisiorum prætensi privilegii contigisse superius monuimus, quippe quod Caroli M. liberalitati ipse adscripsit, cum testes in eo nominati Caroli IV. ævum non excedant; ut hinc colligamus, frequens fuisse, eo & succedente tempore suppositionis crimen, dum, ut fit, unus alterius exemplum sequitur; quædam etiam civitates ad æmulationem prolapsæ, sicut potentia ita & privilegiis & immunitatibus se invicem superare voluerunt; quod si quæ honestis artibus impetrare nequiverunt, dolis obtinere tentarunt: quo pertinet Ottonis M. adulterinum privilegium, quod Magdeburgensibus concessum dicitur, de quo PETRI HEIG. judicium *ex lib. 1. quæst. Saxon. 8.* superius retulimus. Ita, cum *Lubeca* ab Imperat. Friderico V. in urbem Imperialem evecta CHYTR. *lib. 6. Sax.* aliisque privilegiis ac immunitatibus per Sueciam, Daniam & Norwegiam aucta esset, CHYTR. *lib. 9. Sax.* & Hamburgum ab eodem Friderico I. intercessione Adolphi III. comitis Holsatiæ, quem insigni

Legenda S. Willehadi privilegia Bremensia ignorat.

Adam. Bremens. primus rerum Bremensium scriptor.

Alb. Stad. & Cranz. Adami sectatores.

Helmold & Arnold Lubecensis Bremensia tractant.

Historia archiepiscoporum incerti autoris.

Diplomata Bremensia a Lindebr. edita.

Statuta Bremensia.

Henricus Wolterus canonicus Bremens.

Cujus tempore Henricanum diploma ignoratum fuit. Chron. Bremense vernaculum.

à quo primo compilatum?

Conjectura de autore horum diplomatum.

Frisiorum privilegium post Caroli IV. tempora confictum.

Æmulationes civitatum circa privilegia.

Ottonis M. adulterinum diploma.

Lubecensis urbis privilegia.

Hamburgensis urbis privilegia.

insigni pecunia ad expeditionem in Palæstinam adjuverat urbs, a. 1189. privilegia quædam meruisset, videlicet & ut immunes essent cives a vectigalibus in Albi flumine usque ad mare CHYTR. *lib. 4. Saxon. in fin.* quibus Albertus & alii comites an. 1292. plura alia addiderunt; de quibus SPANGENB. *in chron. Schawenburg. lib. 2. c. 7.* ad quæ ipsi Hamburgenses provocant in contentione cum Ducibus Holsatiæ coram Carolo IV. Imp. apud CRANZ. *lib. 10. Sax. 2.* Brema urbs, ex quo potentia & divitiis increvit, vicinis hisce civitatibus nec dignitate nec potestate quicquam concedere voluit. Apparet id satis ex diversis disputationibus, quas cives Bremenses de prærogativa urbis suæ cum civibus tam Hamburgensibus quam Lubecensibus diversis temporibus habuisse commemorantur in *chron. Brem. MSCt.* Illorum ergo sicut privilegia quædam imitati sunt Bremenses, ita nova quoque & majora sibi adscripsere, eadem specioso antiquitatis Carolinæ & Henricanæ titulo commendantes.

Brema urbs Hamburgi & Lubecæ æmula.

SECTIO XLVII.

Quare Henrici V. & cæterorum Impp. nomina potissimum electa & bullatis Bremensium nugis præfixa sint?

Quamvis vero autoris hujus consilium, quod ipse studiose occultavit, in confingendis hisce diplomatibus doceri liquido nequeat; conjectare tamen licebit verisimiliter hoc fuisse, quod cum ipse privilegia urbis Bremensis ab ultima antiquitate Caroli M. deducere vellet, neque tot diplomata succedentium Impp. confingere posset, satis esse putavit, si aliquot tantum Impp. eligeret, qui intervallo aliquo temporis elapso ea vel concesserint vel confirmarint. Itaque Caroli M. & posterorum privilegia narrative tantum Henrici V. diplomati inseruit: hoc autem Henricanum, in quo tota vis privilegii constare videbatur, singulari studio confectum ac testibus munitum de a. MCXI. successive Wilhelmi a. 1252. & Wenceslai a. 1396. transumto inclusit, ut ita ordine retrogrado subsequens privilegium antecedens semper probaret & posterius ad prius referret, donec ad Carolum M. deveniretur. Atque hoc satis probationis esse ac verisimilitudinis speciem habere existimavit; Henrici autem V. nomen ideo procul dubio elegit, quod sub eo cives Bremenses, expeditioni Hierosymitanæ interfuisse ac insignia militaria meruisse a. MCXI. jactantur in *chron. Brem. MSCt.* Itaque autor videns chronologiæ dissonantiam expeditionem Bremensium Henrico IV. quidem adscripsit, sed æram ac Cæsarem Henricum V. ut privilegii datorem retinuit. Insignia autem militaria in modum justi privilegii cum insigni additamento nimis audaciter transformavit, Wilhelmi autem Cæsaris nomen & confirmationem ideo procul dubio elegit, tum quod intervallum hoc sufficiens visum & Wilhelmus inter Henricum V. & Wenceslaum fere medius esset, tum etiam ex alia ratione, de qua inferius Sect. 66. pluribus agemus; nimirum hæc illa speciosa sunt incunabula privilegiorum Bremensium, hoc institutum autoris, quod, etsi nec testibus nec apodicticis argumentis probari in judicio possit, historicis tamen & probabilibus rationibus adstructum esse sufficiat, ex eo, quod vero valde sit consentaneum: verisimilitudo enim imago est veritatis & natura cognata.

Autoris consilium in confingendis diplomatibus.

Autor fabulam expeditionis Bremensis nonnihil interpolat.

SECTIO XLVIII.

Dispositio & examen prætensi diplomatis Henricani in VII. capita.

Ipsa diplomatum falsitas quamvis undecim firmissimis argumentis satis superque asserta & ad oculum emunctæ naris hominibus propalata sit, tamen ut fides dictorum magis pateat operæ pretium erit, singula particulatim percurrere, omniaque eorundem contenta ad libram veritatis expendere &, ut vocamus, glossare; quia veritas magis innotescit contrariis juxta se positis. JO. BORG. *cons. 1. in princ.* Inter alia cum Henricanum diploma primum agmen ducat, id merito ut principalius & antiquius (ex quo Carolinum deficit) primam censuræ torquem subire fas est, *arg. ff. singulorum II. instit. de rer. divis.* In eo ordinis gratia hæc *VII. capita* considerentur: 1.) prooemium continens merita civium Bremensium. 2) confirmatio anteriorum privilegiorum. 3) exemtio civium a sede libera. 4) dispositio diplomatis Henricani. 5) Vestimentorum distinctio. 6) Rulandi concessio; & denique 7) epilogus, continens poenam violati privilegii, item testes & subscriptionem. in quibus examinandis plus operæ insumemus.

SECTIO XLIX.

PRIMUM CAPUT,

Continens prooemium & merita civium Bremensium.

(*Imperatoriam nostram Majestatem*) Prooemium autor a vulgari Imp. formula captandæ benevolentiæ sumsit. Similes sunt formulæ passim obviæ, sed breviores & strictiores, ut in *constit. Lothar. II. feud. 52. in princ. Frideric. II. feudor. 55. in princ.* & passim. Ipse Henricus V. in privilegio civitati Spirensi hoc a. MCXI. dato apud LEHMANN. hanc sententiam multo elegantius exprimit his paucis verbis: quoniam supernæ pietatis adminiculante gratia locum istum ob insignem patrum nostrorum memoriam & fidem civium ipsius erga nos semper constantissimam præ cæteris sublimare præponimus, (ideo) jura ipsius *Imperiali autoritate pro nostrorum principum consilio corroborare decrevimus.* Ecce, quam breviter & concise hic Imperator Henricus V. causam impulsivam privilegii exprimit, in qua autor Bremensis diplomatis totam fere paginam superfluis & ad pompam facientibus verbis complet. Non placet mihi lex cum commentario, inquit Seneca; lex jubeat, non disputet: prolixitatem & superfluitatem hanc verborum in anteriorum Impp. diplomatibus non invenias, licet a Caroli IV. ævo stilus curialis magis sese diffundat.

Vulgaris forma prooemii.

Henrici V. stilus elegantior.

(*Super incrementis civitatum*) Civitates & urbes Henrici V. tempore in Germania fuisse non negamus, & præcipue ad Rhenum, quales sunt Colonia Agrippina, Moguntia, Tabernæ, Solodurum & alia; de quibus AMMIAN. MARCELL. *notitia utriusque Imper.* PETR. BERT. FREHER. *lib. 2. Origin. Palatin. 16.* LEHMANN: *l. 1. chron. Spirens.*

Civitates Rhenanæ a Romanis exstructæ.

Spirenſ. 27. Eas enim primum ædificarunt Romani, cum Rhenus terminus Imperii eſſet. Quæ cauſſa eſt, cur illa cis-Rhenenſis ripa (Romanis ita dicta) tot vetuſtis & munitis urbibus ſit ornata; hæc ultra Rhenenſis non item *Bert. lib. 1. comm. 3.* MUNSTER. *l. 3. Coſmograph.* De quo tractu intelligenda OTTONIS FRISINGENSIS ſententia *lib. 1. de geſt. Frid. 1.* in Germania, inquit, a Baſilea usque ad Moguntiam maxima vis regni eſſe noſcitur: Item expoſitio LEHMANNI ad hunc locum *lib. 2. chron. Spirenſ. c. 22.* Eas civitates Henricus V. amplificare voluit, ſicuti in Spira & Wormatia verum fuit, quarum privilegia recitat & explicat LEHMANNUS d. l. Licet Wormatienſe non exſtet, niſi in confirmatione Friderici I.; ex qua LEHMANNUS colligit, utrumque eodem tempore ab Henrico V. datum fuiſſe, nempe anno MCXI. Ceterum in inferiori Germania & Saxonia, cum tenuiora adhuc eſſent incunabula urbium cum illis ſuperioris Germaniæ minime comparanda, minime etiam credendum eadem ipſis privilegia tributa; neque enim vera diplomata anteriorum Impp. Saxonicis civitatibus collata, exſtant, quod ipſe Lehmannus agnoſcit hiſce verbis: *Die andere Urſach iſt, das dieß koſtbar* monumentum *zu ewigen Gedæchtniß Zeugen und Kundſchaffi geben ſoll, der ſonderlichen* Special *Freyheiten und Gnaden, darmit der Kayſer dieſe Stadt für andern begabt und erhöhet, dann aller Vermuthung nach umb dieſelbe Zeit, wenig oder gar kein ſolchergeſtalt* privilegi*ret und befreyet geweſen in Erwegung, daß der groſſe und mæchtige Kayſer ſelbſt deßhalben ein ſolch fürnehmes und ſtattliches* monumentum *aufzurichten befohlen, dergleichen in keiner Stadt auf ſolche Manier nach derſelben Zeit Lauff und Gewohnheit nicht zu finden &c.* Ecce, hoc primum eſt privilegium civitati Spirenſi datum 14. die Auguſti an. MCXI. Non ergo illud Pſeudo-Bremenſe. Et confirmat hoc quod eo tempore pleræque urbes, villæ adhuc fuerunt; ſicuti idem Henricus V. in edicto de an. 1106. Bonnam villam vocat apud GOLDAST. *part. 1. Conſt. fol. 249.* Ceterum hanc *Lehmanni* ſententiam contra ſe dictam animadvertens JO. DAUTH. hiſce verbis rejicit in *Diſcurs. grat. & ſpec. fol. 30.* de veritate hiſtorica quoad diverſas (ratione capitum provincialium) regiminum formas ex præſtantibus hiſtoricis autor chronici Spirenſis præ ceteris diligenter *Lehmann. lib. 2. c. 22.* diſſeruit, ubi præſentem civitatum ſtatum Henrico V. & aliis eum ſecutis Impp. tribuit. Nos optimis autoribus ab ipſo allatis, quoad Spirenſem civitatem, de qua in ſpecie meminit, aliasque ſuperioris Germaniæ civitates libenter adſtipulamur; de noſtris autem Saxonicis rebuspublicis expendendum, quod autore Sigonio Otto I. an. 973. in multis Italicis civitatibus eandem regiminis formam pluribus ante Henricum V. annis introduxerat: quam procul dubio in patria ſua jam antea conſtitutam Italiæ etiam adhibuit &c. & quæ plura alia parum ad rem facientia illic cumulat, quæ eadem facilitate rejiciuntur, qua aſſeruntur. Eſt enim magna diſſimilitudo civitatum Italicarum & ſuperioris Germaniæ, quæ a Romanis conditæ ſub Ottone jam exſtabant ſatis magnam potentiam aſſecutæ, quod in Saxonicis civitatibus longe aliter ſe habebat, & *longe facilius eſt civitates exſtructas amplificare & earum potentiam augere, quam de novo fundare, quæ ne volentibus quidem Imperatoribus tam cito emergere potuiſſent*; ut nullum ſit dubium, quin civitates Saxonicæ poſt Otronis M. tempora pleræque fundatæ diu poſt demum privilegia ſua obtinuerint. Quod ſi non ita eſt, proferat Dauth. Impp. antiquorum vera non falſa aut ſuppoſititia diplomata & ex iis, quæ unice fallere nequeunt, contrarium evincat.

Superioris Germaniæ urbes potentiores quam inferioris.

Chriſtophori Lehmanni conſenſus.

Civitates Italicæ tempore Ottonis M. potentes.

(*Propter eorum deificam & fidelem virilitatem*) Sententia ut barbara, ita adulatoria nec Majeſt. Imperat. conveniens, quam ſe non adeo demittere erga ſubditos novimus, deinde prorſus falſam eſſe hanc meritorum Bremenſium commemorationem ex ſupra dictis conſtat, etſi vera eſſet non tamen propterea Imperator tam ampliſſima privilegia Bremenſibus concedere potuit, aut enim omnibus, qui expeditioni Hieroſolymitanæ interfuerunt ſimilia concedenda erant, & ſic nullus Dux, nullus comes, nulla provincia in Romano Imperio eſſet, cui non ſimile quid indultum, aut ſi ſoli Bremenſes eo pacto honorati cæteris per contemtum inſignis injuria illata eſſet neque præmium ab Imperatore, ſed a DEO expectabant *cruce ſignati*, quippe, qui pro amore Dei expeditiones illas ſuſcipiebant; unde etiam *bellum ſacrum* dictum eſt, item *Romanum*, utpote ad eccleſia Romana indictum, *Archidiac. in C. juſtum 23. quæſt. 2.* cujus miltes a Papa pleniſſimam indulgentiam conſequebantur, *v. tam* ſcilicet *æternam*; ſic enim habet bulla Urbani ſecundi: *Quisquis in hoc belli certamine fideliter mortuus fuerit, regna illi cœleſtia minime negabuntur. Naucler. gener. 37. Vol. 2. Robert. Monach. lib. 1. de bell. ſacr. c. omni timore depoſito quæſt. c.* excommunicamus *§.* Catholici X. *de hæred.* ut non opus eſſet aliis temporalibus præmiis in cruce ſignatos erogandis. Ceterum alia ſpecialia merita fuerunt vel Imperatori vel Imperio exhibita, propter quæ privilegia conceſſa legimus. Ita enim privilegio Henrici V. civitas Spirenſis dotatur ob inſignem Patrum ſuorum memoriam & fidem civium ipſius erga Imperatorem ſemper conſtantiſſimam; nimirum quia hic Henrici V. majores non ſolum frequenter commorati ſæpiusque curiam celebraverunt, de quibus late *Lehmann lib. 5. chron. Spirenſ. c. 38.* & ſeqq. ſed etiam ſepulturas ſuas habuerunt, de quibus noti ſunt verſus:

Falſa Bremenſium merita.

Expeditiones in terram ſanctam pro amore Dei ſuſceptæ.

Merita civitatis Spirenſis.

Filius hic, pater hic, avus hic, proavus jacet iſt hic;
Hic proavi conjux, hic Henrici ſenioris.

URSBERG. *in chron. Spanheim fol. m. 272.* DRESSER. & BERT. *de urbib. German.* Ob hanc ergo parentum ſuorum memoriam & fidem Henricus V. privilegia urbi Spirenſi conceſſit, neque id ſimpliciter, ſed hac interpoſita conditione, ut in anniverſario patris Henrici IV. ſolemniter ad vigilias & miſſam omnes conveniant, candelas in manibus teneant, & de ſingulis domibus panem unum pro eleemoſyna dare & pauperibus erogare ſtudeant, ut habent *verba diplomatis.*

Hæc ergo vera causa impulsiva fuit, ut scilicet Henrici Patris excommunicata anima crebris civium Spirensium precibus adjuvaretur, & ex purgatorio pro pietate illius ævi eleemosynis liberaretur.

SECTIO L.

SECUNDUM CAPUT

Privilegii Henricani, confirmatio anteriorum privilegiorum.

(*Confirmamus illa jura*) Atqui ea falsissima esse superius demonstravimus? Vana ergo confirmatio jurium non existentium.

(*Ad instantiam petitionis*) Quod factum esse dicitur in prætenso privilegio Bremensi ecclesiæ a. 788. concesso, post devictos & subjugatos Saxones: atqui Saxones post triginta & trium annorum bellum a. 803. demum devicti sunt; tunc enim pax & libertas ipsis concessa, de quo luculenter poeta anonymus ad a. 803.

Bellum Saxonicum quamdiu durarit?

Tunc igitur pacis sub conditione fideles
Se Carolo natisque suis stirpique nepotum
Ipsius juraverunt per secla futuros,
Quos per ter denos & tres tam duriter annos
Linquere protracti penitus certamina belli
Plus regis pietas & munificentia fecit.
Quam terror. &c.

Willehadus ante finem belli Saxonici defunctus.

Quo tempore bonus *Willehadus Frisiorum prædicator* jam dudum vita excesserat, quippe qui in Rustringia Frisiæ (hodie comitatus Oldenburgici) *pago, in villa Pleccatze* ad *Visurgim diem extremum clausit a. 790.* vel sequenti ADAM. BREMENS. *in hist. eccles. c. 10.* ALB. ABB. STAD. *fol. 83.* CRANZ. *lib. 1. Metrop. 8.* LINDENBR. *d. l. fol. 166.* An ergo Willehadus hic defunctus apud Carolum M. pro concessione privilegiorum urbis Bremensis, quæ nondum fuit, intercesserit admonendi sumus; si forte in somniis fabulatori huic ita visum fuerit.

(*Primi Bremensis ecclesiæ antistitis*) Frisiorum prædicator & antistes fuit prædicator Willehadus; an etiam episcopus Bremensis, alibi videbimus.

(*Ceteri prædecessores nostri*) Quinam illi? ubi diplomata sunt? quid continuerunt? quot plaustra privilegiorum habent Bremenses, si omnia vera sunt? cur non omnia producunt atque hujus boni nos participes reddunt? hujus enim diligentiæ nomine MELCHIOR GOLDASTUS & FRID. LINDEBR. ab ipso *Dauthio* commendantur. Aut ergo invidi sunt Bremenses, dum petentibus copias denegant, aut certe aliquid monstri alunt.

SECTIO LI.

Tertium privilegium exemtio a sede libera.

(*Insuper damus*) Tertium caput hujus diplomatis, in quo præter confirmationem illorum, quæ jam a Carolo M. habebant Bremenses, alia ipsis insuper dantur & de novo conceduntur privilegia, atqui omnia, quæ sequuntur, singulatim quoque Carolo M. tribuuntur, *in chron. Brem. MSCt.* quomodo non ergo hinc inevitabilis contradictio nascitur, quæ semper falsum implicat, sicuti id argumentum bene expendit procurator archiepiscopi Mediolanensis contra Abbatem de Scozula *in C. inter dilectos X. de fid. nostr.*

(*Proconsulibus & consulibus*) Quinam illi Proconsules? an talis unquam Bremæ magistratus auditus; an forte ex-consules intelligit autor; an illos, quos senatores hodie vocant, cur illis in omnibus tribus bullis præferuntur? An senatores consulibus sunt digniores? Quicquid sit, uterque Magistratus recentior est & in civitatibus Saxonicis serius invaluit; ita enim in bulla Caroli IV. de libertate ecclesiastica data a. 1359. nominantur Consules Magdeburgenses & Bremenses inter diplom. ERP. LINDENBR. *in fin.* item consules civitatis Mindensis in literis ejusdem Caroli IV. apud *Pistorium*, qui Emdæ a. 1442. primum instituti sunt, cum hactenus judices illi fuissent. UBBO EMMIUS *lib. 23. rer. Frisic.* Atque hoc quoque agnoscit LEHMANNUS *in chron. Spirensi lib. 22.* ubi dicit, comitem & scabinos omne merum & mixtum Imperium in civitatibus habuisse: *dann die* form *der Regierung durch Ammeister, Stadtmeister, Bergermeister und Raths-Persohnen erst unter den Sæchsischen und Schwæbischen Kaysern angefangen*, h. e. sub Henricis & Fridericis nempe in civitatibus superioris, non etiam inferioris Germaniæ; nam hic eo tempore Consulum nomen ignotum fuisse, Germanicum & tum usitatum Burgomagistri arguit, urbs enim vernacula lingua *burgum* dicebatur, i. e. oppidum muro cinctum portisque clausum, PETR. GREGOR. THOLOS. *lib. 2. de republ. 1. n. 6.* FREHER. *l. 1. de orig. Palat. 10.* quod vocabulum Franco-germanicum esse ex Othfridi monachi vetusta versione evangelica, *ite in civitatem* i. e. *fahret in Thiaburg* discimus, licet alias a græco πυργὸς derivatum videri possit. CUJACIUS *lib. 3. observ. 24.* Romani pro castello accipiebant. *l. 2. §. 4. de offic. Præf. præt. Afr. & ibi Gothfrid.* inde multa germanorum oppida in hanc terminationem desinunt, ut Asciburgum, Teutoburgum, Magdeburgum &c. Inde cives Burgenses dicti ab ARNOLD. LUBEC. *Chron. Slav. lib. 2. c. 40. hist. archiep. Brem. in Hartwico* 2do. & passim comes civitatis *Burggravius art. 10. Weichbild* & passim; de cujus officio & jurisdictione late tractatur in Responsis Magdeburgensibus, post *spec. Sax. part. 1. c. 2. distinct. 16.* statuta civitatis *Burg-Recht, Stadt-Recht gloss. in prooem. spec. Saxon. n. 4.* consules ergo Burgo-Magistri ita vocant EBERH. SPECKH. *Brem. cent. 2. quæst. 5. n. 13.* WESEMBEC. *cons. 44. n. 22.* & *JCti Sax. passim.* h. e. ut dicuntur in statutis Bremensibus *Burger-Meister und Rathmænner.* Carolus IV. in literis ad civitatem Mindensem apud *Pistorium Burmeister* appellat, atque eo titulo in jure Saxonico etiam insignitur *Pauermeister* h. e. Scultetus sive villæ magister *art. 2. lib. 1. art. 55. lib. 2. Land-R.* COLER. *de processib. execut. part. 2. c. 1. n. 133.* sicuti ipsum corpus civitatis *die Bauerschaffi* dicitur in *statut. Bremens. stat. 22.* & passim. item in *transactione* quadam *civitatis Brunsvicensis de a. 1445. §. 3. Oek scholen die Mannheit in allen Wickbilden Hövet-Lüde küsen in jegelicker Burschop twe.* post *encyclop.* KNICH. *lit. GG.* it. *Pauermal* i. e. *Burger-Recht in Respons. Magdeb. part. 1. c. 1. distinct. 5. & distinct. 17.* quæ omnia veterem adhuc tenuitatem urbium Saxonicarum redolent & ostendunt, quia magi-

Proconsules quinam?

Comitum & Scabinorum potestas consules suppressit.

Consulum nomen Saxonibus ignotum.

Oppida in burgum desinentia.

Burggravius Judex civitatis.

magistratus hic municipalis nullam vel exiguam saltem potestatem habebat jurisdictione omni ad comites, advocatos, & scultetos pertinente, ut in sexta ratione latissime deductum.

Exemtio civium a judicio seculari.

(*Ut si aliquem judicem secularem*) Autor hic exemtionem a judicio seculari civibus Bremensibus tribuere vult imitatus aliarum urbium privilegia, quæ simile quid habent. Ita Alexander IV. a. 1260. civibus Spirensibus tale privilegium dedit, quod trahi extra civitatem Spirensem ad judicium inviti non possent, quam diu parati essent coram suo ordinario de ipsis conquerentibus stare juri LEHMANN. *lib. 5. chron. Spir. 97.* item Adolphus Cæsar a. 1297. ipsis hanc gratiam duximus liberaliter concedendam, inquit, videlicet quod eos vel aliquem ex eis extra civitatem suam evocari ad nos vel judicium nostrum qualecunque per quempiam nolumus, quamdiu parati sunt in civitate sua de se querulantibus justitiam exhibere. LEHMANN. *lib. 5. c. 175.* eadem confirmantur a Ludovico a. 1317. Friderico III. LEHMANN. *lib. 7. c. 21.* & c. 100. Eodem modo ab Adelberto archiepiscopo an. 1135. cives Moguntini habitantes intra muri ambitum hoc jure donantur, ut ad nullius advocati placita vel exactiones extra murum expetantur. tom I. URSTIS. De Frisiis scribit UBBO EMM. *lib. 23. rer. Frisic.* percrebuerat ea tempestate mos apud ordines iis locis, ut, qui cum altero litem haberent, querelas ad vicinos principes deferrent, litterasque conficerent, quibus accusati ad tribunal peregrinum extra Frisiam citarentur: id grave visum & patriis legibus libertatique contrarium interdictum est a. 1447. Ita Goslariensis dicuntur habere privilegium, quod non debeant ad aliena judicia vocari, sed in palatio Cæsarum in urbe conveniri CLUT. *in sylloge rer. quotid. thes. 26. lit. D.* Hæc & similia demonstrant, eo tempore nondum fuisse *Jus Weichbildicum*, quia illo jure cives extra Weichbildum sive territorium urbis conveniri non poterant: id enim privilegium coepit per *statum Rulandinum* præfigurari postea, eoque respiciens autor hujus privilegii, Rulandum indicem hujus libertatis sive exemtionis esse vult, quam Henrici V. temporibus civitates Saxonicæ nondum habuerunt, sed postea demum impetrarunt; nam cum civitas Spirensis id privilegium ab Adolpho Cæsare a. 1297. impetrarit, quis crederet Bremenses id sesquicentenos annos ante jam habuisse? cum ex Lehmanno constet, nullam aliam civitatem privilegiis Spirensibus antiquiora habere.

Spirensium privilegium.

Civium Moguntinensium privilegium.

Frisiorum interdictum.

Goslariensium privilegia.

Juris Weichbildici proprietas.

Rulandus exemtionis index.

Spirensium privilegia Bremensium antiquiora.

(*Monere*) Mannire voluit dicere autor: hoc enim verbum in antiquis L. L. Francicis reperitur ita dictum a *manen*, quod manere significat *lib. 4. LL. Francic. c. 13.* & videntur duo modi fuisse, quibus olim ad *mallum* sive judicium cogebantur subditi per *manum* vel per *bannum*, quorum ille ad partes, hic ad judicem pertinuit. ita in *d. lib. 4. c. 13.* de cæteris vero causis judex, qui rationem redditurus est, non manniatur, sed per comitem banniatur; verum hæc tractu temporis in abusum venisse, apparet ex querelis *Hincmari* archiepiscopi Rhemensis *de potestate regia & Pontific. c. 15.* Quia prius per manninas veniebant litigantes, excogitaverunt comites & vicarii quidam ut per bannos venirent ad placita, quasi propterea melius esset, ne ipsas manninas alterutrum alterutri scilicet litigantium, solverent, sed ipsi comites bannum acciperent &c. ubi per manninas intelligit poenas, quæ a non comparentibus solvebantur, *de quibus est in L. L. Longobard. lib. 2. c. 43. L. L. ripuariis tit. 4.* inde *Man-Recht* quod tamen de castrensi judicio interpretatur MATTH. STEPH. *lib. 2. de jurisd. part. 1. c. 7.* Ab hoc jure quosdam per privilegia liberatos legimus. Ita in privilegio Udalrici abbatis Laurisheimensis de a. 1071. ut familiam curiæ (*Sachsenhoim*) ab omni gravedine & molestia immunem redderemus a tribus principalibus *mallis, qui vulgo Ungebaden Ding* nuncupantur, quibus ad curtim *Luitershusen* annuatim manniebantur eam absolvimus, exstat in *chron. Laurisheim.*

Manninæ quid?

Man-Recht unde dictum?

(*Extra dioecesin Bremensem*) Autor fortasse extra urbem Bremensem dicere voluit; sunt enim dioeceses, quousque episcopi jurisdictio spiritualis porrigitur; sicuti territorium est, quousque secularis potestas jus terrendi habet. *l. 239. ff. territorium & ibi* ALCIAT. *ff. de V. S. l. fin. de jurisd.* PETR. GREG. TOLOS. *l. 15. syntagm. 12. n. 3. & 4.* Aliqui fines Bremensis dioecesis in prætenso privilegio Carolino describuntur & ultra Albim collocantur apud ADAM. BREMENS. *in histor. eccles. c. 10.* Sic ergo præsupposita veritate hujus privilegii cives Bremenses tenebantur stare in judicio, ultra Albim puta Ducis Saxoniæ, comitis Stadensis, comitis Rustringiæ de Stotle, Lesmonæ & aliorum: quia hi omnes intra dioecesin Bremensem residebant. Et quid? si per dioecesin provincia metropolitani sive archiepiscopi Bremensis intelligatur, ut fit quandoque *C. episcopi 9. quæst. 2. Hieronym. de Mont. de finib. regund. cap. 4.* tunc enim cives Bremenses in Dania, Svecia, Norwegia aliisque septentrionalibus regionibus citati, comparere tenerentur; quia scilicet eousque provincia archiepiscopi extendebatur. Quid ergo voluerit autor, non capimus, nisi forte ad conditionem ecclesiasticorum respexit, qui ultra duas diætas extra dioecesin suam trahi in jus nequeunt *C. nonnulli & seq. X. de rescript.*

Dioeceses Episcoporum.

Termini Bremensis dioeces.

(*Ad locum*) Imperator non locum sed mallum vel judicium dixisset, ita enim Carolus IV. in privilegio dato Theodorico episcopo Mindensi a. 1354. concedimus ecclesiæ Mindensi duas liberas sedes, quæ proprie & vulgariter *Vehmeding* nuncupantur, quod Ludovicus Bavarus vocabulum, in privilegio de a. 1332. per *Frey-Gericht* item *Frey-Stühle* reddidit. Ab hoc judicio idem Carolus IV. clericos eximit in diplomate de a. 1377. apud *Pistorium*: ne quis clericum vel pro causa criminali vel civili in judicium seculare & specialiter ad judicium, quod dicitur *Freyding*, trahere præsumat. Quod si ergo autor Bremenses suos ab hoc judicio prorsus liberos esse voluit, tum non saltem extra, sed etiam intra dioecesin Bremensem liberare eos debuerat; si vero occultum judicium Westphalicum intelligit autor, eo ipso prodit, post Caroli IV. tempora se hoc diploma condidisse, nimirum

Sedes liberæ.

Clericorum exemtio a judicio Vehmico.

nimirum quoad judicium degeneraverat, etiam ad aliena territoria manus extendens, de quo *Æneas Sylvius*, qui Cæsaris Sigismundi tempore vixit & postea Papa factus Pius IV. dictus est *in Europ. c. 29.* ubi ex eo id judicium vetitum vocat. Qui ei præsunt judicio, inquit, Scabini appellantur, quorum ea præsumtio est, ut per totam Germaniam jurisdictionem suam extendere velint. Idem sentit HENRICUS MEIBOMIUS *in spicilegio suo:* quæ de evocatione extra dioecesin ad locum, qui libera sedes nuncupatur, privilegiographus producit, aliud multoque recentius sapiunt seculum. Scimus enim, quo tempore Scabini judicii occulti sive Vemici in Westphalia sua jurisdictione abutentes Imperatoribus Romanis occasionem præbuerint, ut exorbitantibus frenum injicerent nonnullosque Imperii ordines gravari impense se conquestos ab intolerabili ista servitute, per rescripta publica eximerent. Exstant ea de re Caroli IV., Sigismundi & Friderici III. privilegia diversis per Germaniam principibus & civitatibus condonata. Henrici V. tempore nullæ de Scabinorum occulto judicio querelæ; qua igitur opus fuit exemtione?

HENRICI MEIBOMII *sententia.*

(*Si coram antistite.*) Sic ergo Archiepiscopus Bremensis ordinarius civitatis judex est, quod ne posteriori tempore quidem, quo hoc diploma confectum, ipsi denegatum est. Prodit autem incogitantiam suam autor, dum passim dioecesin & antistitem Bremensem crepat, cum is Henrici V. tempore Hamburgensis potius diceretur, sicuti ex diplomatibus à *Lindebrogio* collectis videre est; quia Hamburgum sedes archiepiscopatus erat, ut pote urbs & antiquior & celebratior, cui postea Bremensis ecclesia ut pars & additamentum accessit; a potiori autem & principaliori semper denominationem fieri notum est.

Hamburgum archiepiscopatus sedes.

SECTIO LII.

Quartum caput diplomatis defensio fluminis Visurgis contra piratas.

(*Item damus*) Incipit quartum caput privilegii Henricani nempe defensio fluminis Visurgis contra piratas; quod ipsum tamen jam ante concesserat Carolus M. Videamus autem, qui hæc cum veritate historica congruant. Nam a Caroli M. temporibus piratas Visurgin fluvium & vicinum mare latrociniis infestasse legimus; nullibi tamen Bremenses illos persecutos invenimus. Ita in *annal. Fuldens.* ad a. 810. Imp. Aquisgrani agens & contra Gothofridum Regem Daniæ expeditionem meditans nuncium accepit classem ducentarum navium de Nortmannia Frisiam appulisse, totasque Frisiaco littori adjacentes insulas esse vastatas. Idem tradit REGINO *lib. 2.* meminit EGINHARD *de damnis Caroli* & in Frisia quædam insulæ germanico littori contiguæ a Normanis deprædatæ sunt, inquit. Ex quo poeta anonymus hosce versiculos condidit:

Piratarum incursus crebri a temporibus Caroli M.

Frisia a Normannis vastata.

Normannis vastantibus insula quædam
Parvula Frisonum damna tulit gravia.

Ex quibus conjicere licet, hanc ipsam fuisse *Rustringiæ insulam Budjadam*, quam Visurgi incumbere superius diximus. Hæc causa est, cur Horico Haraldi Danorum Regis fratri partem Frisiæ concederet Carolus, ut scilicet piratis obsisteret. ADAM. *Bremens. in hist. eccles. c. 12.* nihilominus post Caroli M. mortem sub Ludovico Pio & successoribus ita continuarunt Nortmanni non solum mare & vicina flumina infestantes, sed etiam in remotiores regiones impetum facientes, ADAM. BREMENS. *c. 15. 17. 30. 31.* & passim. HELMOLD *lib. 1. chron. Slav. 7.* UBB. EMM. *lib. 4. 5. & seqq. dec. 1. rerum Frisic.* item Hamburgum desolantes, de quo vid. *diploma Nicol. Papæ;* quam egregii ipsi piratæ fuerint, ideo Ascomanni dicti, habes apud AD. BREM. *173. & 213.* Quamvis vero Arnulphus Imp. nonnihil eos represserit HELMOLD. *d. c. 7.* UBBO EMMIUS *d. lib. 6.* tamen recollegerunt se postea usque adeo, ut sub Ottone III. divisis navalibus copiis Albim & Visurgim intraverint omnemque hujus fluminis ripam usque ad Lesmonam (prope Bremam) vastaverint. ADAM. BREMENS. *d. c. 73.* ALB. ABB. STAD. *a. 988.* HELMOLD. *lib. 1. chron. Slav. 15.* Ex illo nimirum tempore, inquit *Adamus* cap. 35. piratarum hostilisque crebra irruptio facta est in hanc regionem; nam & omnes Saxoniæ civitates grandi metu perculsæ fuerant, tunc & Brema muniri coepit muro: tantus itaque timor in finibus hujus parochiæ omnibus erat; nam & ipse pontifex piratas, qui episcopatum vastabant, anathemate damnavit &c. Quid autem tum fecerunt Impp. Romani, an persecutionem piratarum Bremensibus demandarunt? minime, quia de Brema tunc dicere licebat: nihil ista nec ausa nec poterat; verum munus persequendi piratas vel ipsi Imperatores vel eorum Duces & Comites, utpote supremi tutores & protectores Imperii, omni tempore exercuerunt: est enim proprium comitum officium; de quo exstat lex Caroli *apud* ANSEGIS. *lib. 2. c. 6.* illos quoque, qui temeritate & violentia in furto & latrocinio sive rapinis communem pacem populi perturbare moliuntur, vestro studio & correctione, sicut decet, compescite. Quamvis non ignoramus, JCtos cuilibet jus invadendi & occidendi piratas, concedere, eo quod ipso jure & facto sint diffidati, PETR. BELL. *lib. 2. de re milit. tit. 11.* BODIN. *lib. 1. de republ. 1.* BECHTIUS *in disp. de secur. thes. 126. & 128. vol. 2. disput. Basil.* quatenus scilicet ab illis offenditur ac in terminis defensivis versatur; alioqui vindicta proprie ad superiores magistratus pertinet. De Carolo M. Eginhardus: molitus est classem, inquit, contra Normannos, ædificatis ad hoc navibus juxta flumina, quæ & de Gallia & Germania septentrionalem influunt oceanum. Et quia Normanni Gallicum & Germanicum littus assidua infestatione infestabant, per omnes portus & ostia fluminum, qua naves recipi posse videbantur stationibus & excubiis dispositis, ne qua hostis exire posset, tali munitione prohibuit &c. In eo conatu non Bremensium, utpote remotiorum sed Frisiorum maritimorum & propriorum auxilio in ostio Visurgis & Albis usus legitur Imp. Carol. Frisii enim classe & navigio ipsi suppetias tulerunt contra Sclavos ad Albim *annal. Fuld.* & REGINO *ad a. 789.* UBB. EMM. *lib. 4. rer. Frisic.* Atque hos præ Bremensibus mediterranei maris peritos fuisse naturalis ratio

Nortmannorum depredatio continuata.

Piratæ Lesmonam depredantur.

Persecutio piratarum pertinet ad Impp.

Frisii Carolo M. classibus militarunt.

Frisii maris periti.

tio dictat, eo quod maximam partem insulas inhabitarunt illi, e quibus sine usu navium in continentem aditus non patet. Quo pertinet hist., quam recenset ADAM. BREM. *c. 247.* de nobilibus quibusdam de Frisia viris, qui ab ostio Wirrahæ s. Visurgis oceanum Septentrionalem navigiis pervagati Islandiam aliasque incognitas terras & insulas primo investigarunt. Quo itinere feliciter absoluto Bremam profecti Alebrando archiepiscopo omnia retulerunt, nimirum quia hæc omnia Bremæ incomperta hactenus fuerunt. Tantum abest, quod ipsi cives cognitionem maris antea habuerint; sed & Henricus Auceps Danos, qui per piraticam Frisios incursabant, vicit & tributarios sibi fecit, procul dubio Frisiorum auxiliis, SIGEBERT. GEMBLACENS. ad a. 935. & Ottonis III. tempore Benno Dux Saxoniæ, Fridericus Marchio Stadensis, Sigfridus comes Holsatiæ aliique vicini comites piratas oppresserunt AD. BREM. ALB. ABB. *Stad.* & HELM. *d. l.* Ita cum tempore Lotharii Imp. latrunculi Slavor. in Stormariam irruerent, Godofridus comes Holsatiæ cum aliquantis civium de Hammenburg latrones persecutus est. HELM. *lib. 1. c. 36.* Et Sigfridus comes Stadens. piratarum manibus elapsus, quos potuit, comprehendit, & prope Stadium suspendit in loco ab eo eventu *Worgeborg* dicto. *Hist. Arch. Brem.* in *Adalberone.* Ex quibus constat ipsum jus persequendi piratas illo tempore ad principes & comites pertinuisse, licet subditorum opera illi uterentur. Ceterum cum civium Hamburgensium, qui cum aliis subditis huic militæ interfuerint, mentio occurrat, mirum est, Bremensium nullibi in probatis autoribus mentionem fieri, quod contra piratas vel ut Duces vel ut milites egressi fuerint, quod fieri Bremensesque omitti potuisse vix possibile videtur, cum de piratarum latrociniis per Visurgim & vicinum mare ejusque accolas ad urbem Bremensem usque plenæ sint historiæ etiam illæ, quæ de rebus gestis Bremensium ex professo scripserunt, *ut* ADAM. BREMENS. ALB. STAD. aliique, quos FRP. LINDEBR. collegit. Quomodo civitas Bremensis defendere alios & Visurgin fluvium usque ad salsum mare per XV. milliaria tutum reddere posset, cum se ipsam defendere contra piratas non potuerit *argt. §. 13. inst.* de *excuss. tut.* ab his enim nunquam eam tutam fuisse constat *ex* ADAM. BREMENS *c. 15.* Perinde ut ipsa Hamburgensis urbs aliquoties incensa & vastata. ADAM. BREM. *c. 17. & 189.* eaque causa est, quare Bremensis ecclesia desolata Hamburgensi sub Anchario archiepiscopo uniretur, & quod utraque civitas propter piratarum incursus periculis plena esset, HELM. *lib. 1. c. 5.* Quomodo civitas Bremensis longe dissita & in locis mediterraneis posita, piratarum exitus & ingressus è mari in ostium Visurgis observare & prævertere melius posset, quam Frisii vicini & maritimi navali scientia instructi, ita enim centenarius portus olim non Romæ sed in portu residebat, ut quia longius a littore Roma videbatur posita, inde magis esse inciperet, ubi decorum ingressum navium possideret, ut loquitur *Cassiodorus lib. 7. varior.* Nimirum hæc quoque falsitas manifesta, autorem

Frisii investigant terras incognitas.

Henricus Auceps piratas opprimit.

Godefridus comes Holsatiæ piratas persequitur.

Sigfridus comes.

Bremensibus nullibi persecutio piratarum attribuitur.

Caroli M. classis contra piratas.

de Brema piratarum diveptionibus exposita.

privilegii rubore suffundit, qui potentiam urbis Bremensis, quam tum forte habuit, cum veteri tenuitate discordare non attendit.

(*Una cum eorum antistite*) Si cum chronico Bremensi a temporibus Caroli M. id repetas, episcopus id jus non habuit. Episcopi enim ipsi omnesque prælati ac ecclesiastici sub patrocinio Cæsaris, comitum & advocatorum secularium constituti erant, de quibus superius dictum; quo pertinet invocatio brachii secularis, de qua passim, pertinet receptio in Mundiburchium sive tutelam Cæsaris. Ita Imp. Otto in privilegio de a. 988. dato Adalgago archiepiscopo super libertate monasterii *Repsholte* loquitur: prædictum monasterium in nostram tutelam suscipimus atque mundiburdium; nimirum ut ipsi ecclesiastici liberi essent à curis secularibus, & rebus divinis eo expeditius vacarent. Quis enim crederet Imp. curam prosequendi piratas in mari demandare episcopo, qui illo tempore nec bello nec cædibus hominum nec judicio sanguinis interesse poterat *c. si in mortem c. convenior 23. quæst. 8.* GAIL. *lib. 1. de pace publ. 8. n. 2.* THOLOSAN. *in parte juris Canon. lib. 4. tit. 8. c. 10.* Itaque in hujusmodi rapinis recte quærit ADAMUS *Bremensis*: quid autem dicimus fecisse interim nostrum archiepiscopum? inquit, nimirum hoc, quod ad officium ecclesiasticum pertinebat, partim piratas excommunicando, in *hist. eccles. c. 32. & 75.* partim etiam captivos redimendo ADAM. *Brem. d. c. 32.* Ex quo autem secularis potestas ad episcopos pervenit, ipsi eam per suos officiales expedierunt. Ita Beselini milites Svenonem Sveciæ principem piratico more maritima Visurgis loca vastantem captivum Bremam ad archiepiscopum Bremensem traxerunt, civibus Bremensibus prorsus exclusis ADAM. BREM. *c. 109.*

(*Stratam nostram Regiam*) Italica vox est in feminino genere usurpata; nam latini in plurali efferebant, eo, quod lapidibus sint strata *l. 1. §. 2. ff. de via publica l. 4. C. de priv. dom. Aug. lib. 1.* TURNEB. *lib. 19. adverf. 19.* PEREGRIN. *consil. 103. n. 7. lib. 1.* unde Isidorus aggerem definit, quod sit media stratæ eminentia coaggeratis lapidibus strata *lib. 15. orig. c. 16.* Durat vocabulum in dialecto Saxonica, licet Misnenses suo more illud elevent ac cum sibilo *Strassen* pronuncient. Quamvis vero nomen generale sit de quo *Gunther. l. 4.*

Proh pudor! a paucis prohibemur inertibus ultra
Regali transire via.

tamen a Dd. platea civitatis a strata seu via publica distinguitur. Ita BARTOLUS in l. ult. §. 1. *ff. de servit. rustic.* quem refert WESEMB. *cons. 33. n. 54.* strata seu via publica quando intrat in civitatis plateam definit esse strata PAUL. LANG. *in chron. Citic. ad a. 1316.* eodem a. fames validissima fuit per Doringiam, ita ut multa millia hominum fame perierint in stratis & viis corruentes, ubi etiam in rei memoriam constructa est capella prope viam regiam &c. Utut ergo indifferenter hoc nomen accipias de via publica terrestri, tamen de flumine impropriissime id usurpaveris, nec ullibi apud bonos autores reperias;

Episcopi ac Prælati sub patrocinio secularium constituti.

invocatio brachii secularis.

Archiepiscopi Bremensis officium circa piratas.

Strata regia, pro via publica.

rias; nisi forte viam super pontem euntem comprehendas, ita poeta anonym. Caroli M. lib. 2.

Nam gemino stravit quam maxima ponte fluenta
Et caput illius vallo munivit utrumque
Imponens & præsidium, ne forte regresso
Quis prohibere viam super alto flumine stratam
Lignorum rupta facili compage valeret.

Quomodo intelligendum privilegium Conradi Cæsaris datum ecclesiæ Mindensi an. 1053. apud *Pistorium* ibi: ad illum locum ubi publica strata iter super ipsum præbet rivum & in ipsa publica strata, nimirum quia pons transverso flumini impositus viam continuat. Hoc autem dici nequit de toto flumine in longitudinem porrecto sive de navali itinere fluminis. Eo enim sensu viæ publicæ & flumina navigabilia disparantur & ut diversa ponuntur non solum *in C. unic. quæ sunt regal. in usib. Feud.* sed etiam in aliis investituris ac diplomatibus principum, quorum aliquot superius retulimus ac sub Henrico V. soli Imperatori & principibus propria adhuc fuisse demonstravimus. Quod ipsum etiam ex statutis Bremensibus (83. *Urthel*) manifeste patet, textus sic habet: *So wer ein Guht findet up des Koninges Heer-Straten, en kumpt dar nemand, de sick des Guhtes thothe, als ein Recht ist, binnen Jahr und Tag, dat schall man leggen by en beseten Mann by Rade. En kumpt he denn nicht binnen Jahr und Tag, de sick des Guedes kruede oder sick dartho thehe, so schol idt hebben de Konniglicke Gewalt mehr de idt gefunden hefft, dem schal men Arbeides-Lohn geven.* Pertinent igitur inventa ad Regalia Cæsaris & Principum modico saltem inventori exinde concesso; *juxta art. 37. in fin. lib. 2. Land-Recht differ. Jur. Sax. part. 2. diff. 61.* COLER. *decis. 149. & ibi alleg. 1.* ex ea ratione, quod in publico inventum etiam publico cedit. THOLOS. *lib. 9. de republ. c. 1. n. 22.* KNICH. *in tr. de privil. Ducum Saxon. verb. Ducum c. 5. §. Wasser-Fischerey.* Ex quo consequens est, nec ipsam stratam Regiam fluminis Visurgis (præsupposito quod hæc acceptio proba sit) ad civitatem Bremensem pertinuisse, cum ad ipsam res inventa in strata regia non pertinuerit, sed ad regiam potestatem (*an die Königliche Gewalt*), cujus illa propria est, spectaverit, *arg. §. 39. inst. de rer. divis.* Quamvis vero *Jo. Dauth* sub potestate regia etiam principes, comites & civitates jus gladii habentes comprehendat, in *discurs. general. & special. part. 2. fol. 26. per gloss. ad art. 29. Weichbild, bey der Königlichen Gewalt ist nicht allein zu vernehmen der König; sondern auch alle die, denen das Schwert befohlen ist;* tamen hoc ipsum quoad civitates Saxonicas in quæstione est, an Henrici V. tempore a. IIII imo an tempore conditorum statutorum Bremensium a. 1303. civitas Bremensis jus gladii habuerit. Nos id negamus, quia in dictis statutis senatus *die Rathmænner* a potestate regia distinguitur & hæc tanquam superior & excellentior Magistratus illi merito præponitur.

de Saxonicis civitatibus id controversum.

(*Ex utraque parte littoris*) Atqui littus orientale Visurgis respective ad Marchiam Stadensem, ducatum Saxoniæ, comitatum Lesmonæ & sub hoc ad archiepiscopatum Bremensem; occidentale vero ad comitatum Rustringiæ & Stedingiæ hodie Oldenburgicum & Delmenhorstanum sub Henrico V. Imper. pertinuisse supra demonstratum est. Qui ergo credendum, id suis dominis ademisse Imperat. ac civitati Bremensi sine ulla caussa concessisse?

Utrumque littus Visurgis duos proprios dominos habuit.

(*Usque ad salsum mare*) Autor hanc formulam procul dubio ex Hamburgensium privilegio mutuatus est. Est autem ambigua locutio. Aut enim intelligitur aqua marina per æstum maris Visurgi illata, quatenus salsedine est corrupta, *so weit das Wasser brack ist*, & quandoque in medio Visurgis salsitas deprehenditur, aut termini Visurgis extra ejusdem ostia in salsum oceanum (vulgo *die Saltzen-See*) extenduntur, & usque ad terram sanctam vulgo *heilige Land* insulam jurisdictio civitati Bremensi concessa diceretur, ex quo magnam jurisdictionis marinæ perturbationem & confusionem nasci oporteret, quando hæc Ducatui Holsatiæ item Hadeleriæ ac Wursatiæ nec non comitatui Oldenburgico usque ad centum milliaria in mare adhæret, quia, ad quem pertinent littora maris, ad eundem etiam pertinet jurisdictio marina usque ad centum milliaria *gloss. in l. 4. §. pen. ff. de damno inf. Bart. in tr. de insula verb. nullius* PAUL. *de castr. & Dd. in l. 9. ff. de judic.* ubi iterum non præsumitur Imperator vicinis principibus hoc jus auferre voluisse.

Heilige Land inf. Ducum Holsatiæ.

(*Nec non mercatores*) Intelligit autor jus protectionis & salvi conductus *die gleitliche Obrigkeit*, quorum hoc superioritatis est indicium, KNICH. *in encyclop. c. 12. & de jur. Sax. non provoc. verb. Ducum Sax. c. 5. n. 102.* illud plerumque ordinariæ jurisdictioni adhæret DOMIN. ARUM. *in discurs. 31. quæst. 8.* Atqui neutrum eo tempore civitas Bremensis habuit, ut supra assertum; quod adeo obtinet, ut conductum super mortuos in Visurgi repertos (dividitur enim *die gleitliche Obrigkeit in todte und lebendige* RUTGER. RULAND. *de commiss. part. 2. lib. 2. c. 3. n. 7.*) ne hodie quidem civitas Bremensis habeat, sed ad advocatum archiepiscopi pertineat. Ita enim Christophorus archiepiscopus Bremensis a. 1544. Carolo V. Cæsari in supplicatione contra sub- & obreptitie impetratam confirmationem prætensorum privilegiorum Bremensium suggessit. *Dessen ist auch eine öffentliche Anzeige, daß so offt sich noch heutiges Tages zuträgt, daß ein Mensch innerhalb oder ausserhalb der Stadt* Bremen *in dem Wasser verdirbt und ertrinckt, dieselbe Persohn wann sie schon gefunden, daraus nicht gezogen mag werden, sonder meines verordneten Vogts in der Stadt* Bremen Consens, *Vermögung und Vorwissen &c.* Quid ergo si per alienum territorium jus salvi conductus sibi urbs arrogaret, quod regulariter nonnisi in proprio jure jurisdictionali competit? & generaliter vix est, quod ante Carolum IV. civitates Saxonicæ jus salvi conductus habuerint; is enim in electoribus deducendis omnibus etiam communitatibus castrorum & civitatibus id concessit *in aur. bull. c. 2. & seq.* sicuti totum hoc jus regale *die gleitliche Herrligkeit* recentius esse colligitur *ex Constit. Sigism. Imp. c. 9. apud Goldast. fol. 191.* neque

Civitas Bremensis non potest mortuum e flumine ex trahere.

que aliud elicitur ex *discursu generali & speciali Jo. Dauth.* fol. 32.

(*Si vero antistitis*) Cur in eum eventum non potius Duci vicino vel comiti id concessisset Imperator. Ita enim Ludovicus Pius in capitul. a. *854. ap. Goldast. tom. 2.* perlatum est ad nos, inquit, quod eos qui Romam orationis causa vadunt, vel qui negotiandi causa per regnum nostrum discurrunt, collecti latrones diripiant, & eorum bona spolient: ideo volumus, ut comites nostri eorum scudasii adjunctis secum vasallis episcoporum, si necessitas fuerit, ubicunque tales fuerint, studiosissime perquirant, ut eos capiant atque distringant, & si hujus criminis reos invenerint, poenas in legibus positas erga eos absque ulla negligentia exsequantur. Ecce, hic persecutio latronum secularibus demandatur, non episcopis, non civitatibus, sed & Otto M. in privilegio dato Adalgago Bremensi a. 937. ejusdem advocato omnem jurisdictionem in homines monasteriorum Bremensis dioecesis concedit, quamdiu eos corrigere potuerit: quodsi, inquit, quispiam illorum incorrigibilis exstiterit, tunc ab advocato eidem præsententur judiciariæ potestati (Duci scilicet vel comiti) cæteri vero in subditione archiepiscopi permaneant &c. nimirum quia tum demum ecclesiastici brachium seculare invocant, quando ipsi correctioni sufficientes non sunt, siquidem militares tenentur ecclesiasticos defendere, *gloss. ad art. 29. lib. 3. Land-Recht n. 2.*

(*Justo judicio*) Atqui criminale judicium quod sub banno regio instituebatur, civitatem Bremensem ante Caroli IV. tempora non habuisse, sed id ad archiepiscopum in urbe & orientali parte fluminis Visurgis pertinuisse in ipsa dissertatione latissime demonstratum est. Falsum ergo, quicquid hic conceditur.

SECTIO LIII.

Quintum caput diplomatis, Vestimentorum distinctio.

Tautologia in diplomatibus principum inusitata.

(*Ceterum propter*) Quintum caput privilegiorum hic incipit. Non satis autem erat autori, Imperatorem barbarie maculasse, nisi eundem etiam tautologias vitio obstringeret. Quid enim opus erat iterare hic ad nauseam deificas virtutes Bremensium, quæ in vestibulo hujus diplomatis jam satis superque inculcatæ fuerant; nisi quia huic autori jucundum fuit laudes suorum populorum audire.

Duplex genus meritorum Bremensium.

(*Per mare suis navibus & per terram*) Duplex genus meritorum Bremensium, quod dum fidei faciendæ inseruit autor, eo ipso, fidem sibi derogat; neque enim facile simul stare poterunt, eosdem cives navali expeditioni interfuisse & simul terrestri; cum bonus miles in navi & mari, plerumque malus sit miles in terra, & contra. Ut taceamus alia obstacula, de quibus in dissertatione copiosius actum.

(*Populus non modicus*) Quindecim turbam facere consentiunt JCti. Atque hunc numerum bene observavit autor, nonnihil tamen ab aliis rerum Bremensium scriptoribus proletariis recedit; hi enim, ut *Herbertus Schönen & Gerhardus Reinsbeccius* affirmant, non spontaneam voluntariamque hanc fuisse expeditionem, sed auxilia contra Saracenos tam dioecesi Bremensi quam vicino comitatui Oldenburgico imperata. Ex civitate Brema militatum exiisse tres Senatores & quindecim cives primarios eosque prædivites, quippe qui singuli annuos reditus haberent, nescio quot nummorum uncialium, eorum videlicet, qui post quadringentos annos primum cusi a loco originis suæ Vallenses nominati sunt. At Wolterus tres inculcat consules & reditus annuos longe aliter computat; privilegia vero impetrata vult in terra sancta, non in Germania: usque adeo

Nominum & cognominum olim non eadem ratio.

Scinditur incertum studia in contraria vulgus. Ipsa nomina civium hodierna sunt nec antiquitate n sapiunt; nam an tum temporis, sicuti hodie, nomina & cognomina a singulis usurpata sint, merito dubitatur. Provocamus ad donationum sive traditionum antiquas formulas aliaque instrumenta, quæ magno numero apud *Pistorium, Goldastum* aliosque reperiuntur. Unus sufficiat *Lindebrogius* ad Bremenses, quorum privilegia publice legi voluit, propius pertinens; is pagina 169. habet Liemari archiepiscopi litteras, in quibus adducuntur testes undecim solis indicationibus. Quid? quod ADAMUS TRACIGER *reipubl. Hamburgens. Syndicus* in *urbis* istius *chronico* ad a. C. 1226. recenset senatores Uromodum, Esicum, Wiradum, Standardum, Sifridum, Harwardum, & alios; nulli vero vel præ-vel cognomina addit, sine dubio, quod eo tempore nondum in usu fuerint.

(*Dicitur interfuisse*) A quo historico vel scriptore fide digno? qui expeditiones Palæstinas descripsit? nullo; sed ab illis, qui fabulas Bremenses in chartam conjecerunt, post A. C. 1400. qui cum sint trecentis annis posteriores expeditione illa Gothofridi Bullionii, qua capta est urbs Hierosolymitana an. 1099.; necesse est, ut proferant antiquiores historias, ex quibus suas hauserunt: alioqui fidem nullam merentur, cum nemo possit sua fide & memoria testari de his rebus, quæ diu ante suam ætatem contigerunt.

(*Et dioecesi Bremensi*) Si non solum ex urbe, sed etiam ex episcopatu Bremensi aliqui huic passagio interfuerunt, cur soli cives Bremenses honorantur? imo cur his privilegium conceditur contra dioecesin Bremensem.

(*Libertatem eis dantes*) Libertatis (*Freyheit*) nomen æquivocum; si respectu servitutis, qua plerique cives Bremenses dominis suis tunc adhuc obstricti fuerunt, libertas ipsis concessa esset, potuit id de facto contingere; si libertatem hic interpreteris pro libera facultate gerendi vestimenta, quæ quisque vellet, necesse est, prohibitionem prius probari, qua id cuivis libero homini lege lata sit ademtum. Certe nec in legibus Carolinis nec Longobardicis nec Francicis nec Saxonicis ullum vestigium ejus juris reperias; immo ignorabant rudes Saxones superbiam, quando ipse Carolus M. auro rarissime & nonnisi in magnis festivitatibus utebatur, LEHM. *lib. 2. chron. Spirens. 37.* nisi forte ad leges sumtuarias & vestinias priscorum Romanorum recurrere velis, de quibus POMPONIUS LÆTUS, ex quibus est constitutio, ne quis vestes auratas & holosericas præter principem gestet *l. 1. & seqq. C. de*

Saxones luxum vestium ignorabant.

C. de vestibus holoseric. it. al. de quibus ARNOLD. KLAPMAR. *lib. 3. de arcan. rerumpubl. 9.* THOLOSAN. *lib. 4. de rebuspubl. 11.* eas ante Carolum IV. in Germania in usum revocatas non invenimus, quod clarius fecit Carolus V. in comitiis Augustanis. *C. 9. apud* GOLDAST. *lib. 2. constit.* SCHÖNBORNER. *lib. 3. politicor. 17.*

Vestiariæ ante Carolum IV. in Germania ignotæ.

(*Ut se ipsos eorum vestimenta*) Hoc ipsum est privilegii caput, atqui id quoque jam ante concesserat Carolus M. *daß alle diejenigen, die zu Bremen zu Rathe geben, mögen Gold und gefærbte Kleyder tragen.* Qui ergo & id hic concedit Henricus V. & quidem propter fortitudinem in bello sacro præstitam? Nimirum ex eodem fictionis penu id profluxit, ex quo *pseudoprivilegium Carolinum* Frisiis datum de auro gestando, quod toties rejecimus, cum CRANZIO *lib. 2. Vandal. 38.* & aliis.

Pseudo Carolinum Frisiorum privilegiorum.

(*Ut militibus est concessum*) Ubi & a quibus? an forte vestes militares Romanorum innuit autor? de quibus PETR. GREGOR. THOLOS. *lib. II. de republ. 5. & 6. & lib. 19. Syntagm. 7.* atqui illæ viliores erant, sicuti conqueruntur milites in Pannonia apud TACIT. *1. annal.* denis in diem assibus animam & corpus æstimari; hinc vestem, arma, tentoria redimi: an forte respicit ad *l. 1. C. nulli licere in fren. & equestri scll.* atqui illa de equitibus tantum agit: Autor imperitus procul dubio intelligit armorum & insigniorum concessionem, quæ militaribus fieri solebat, de quibus JUSTUS LIPSIUS *in analect. Gabriel. Palæott. de imaginib. lib. 2. c. 47.* PETR. *de* ANDLO *lib. 1. de Roman. Imp. 12. & 13.* Exstat ea de re Ludovici Bavari privilegium de a. 1338. in quo nobilibus de Prato permittitur tam in banderiis, clypeis, quam vestibus ceterisque ornatibus super consueta insignia coronam de armis ducatus Bavariæ portare apud FREHER. *lib. 1. de orig. Palat. 13.* quo etiam alludit HENRICUS WOLTHERUS, dum scribit, quod a. MCXI. cives Bremenses reversi ex passagio terræ sanctæ insignia secum reportaverint. Cur autem illa hic tribuuntur Senatui, cum totus Senatus expeditioni illi non interfuerit? cur non potius illis civibus eorumve familiæ, qui meruerunt? usque adeo nihil solidi est in hoc diplomate, in quo acquiescere possis; ne quid de chronologiæ dissonantia hic addamus.

Nobilium de Prato privilegium.

Bremensium insignia militaria.

SECTIO LIV.

Sextum caput, privilegium colossi Rulandini positio.

Rulandus obsignatio privilegiorum Bremens.

(*In signum hujusmodi*) Hoc sextum caput quasi obsignatio & monumentum reliquorum est, nempe statuæ Rulandinæ collocatio: quæ si de proxime tantum præcedenti capite accipienda est, sicuti arguit vox libertatis, item quod relatio fit in dubio ad proxima non ad remota *l. item l. talis scriptura ff. de leg. 1. & ibi* JASON. HONDED. *vol. 2. cons. 4. n. 9;* tum sane novum & inauditum commentum est, quod per statuas Rulandinas designetur usus aureorum vestimentorum, adeoque & ceteræ civitates Saxonicæ hoc jure gaudebunt, sed ita, ut colossis hisce instar pavonum pennas expandentium nihil aliud quam superbiam in vestitu prodant: quod si generaliter ad omnia præcedentia privilegia referre velis, ne sic quidem obtinebis, quod eorum omnium index sit Rulandus, aut ergo aliarum civitatum Saxonicarum Rulandus eadem jura & privilegia præferet, aut hic Bremensis valde erit singularis & monstrosus.

Rulandus index Bremensium monstrosus.

(*Licentiamus iisdem*) Barbare pro licentiam damus iisdem, & tamen tanti fecit JO. DAUTH *in hypotyp. contr.* KNICH. *sect. 8.* quod eandem sententiam citaverit, ad quam recte annotat *Knich.* & quid licentia hac quæsitum? an forte illa potestas, quam sibi imaginabatur Adalbertus superbus archiepiscopus Bremensis vel per mare ambulandi vel per terram navigandi, de quo post ADAM. BREM. ALB. ABB STAD. *ad* a. 1051. quam Bremensibus non invidemus; an illud potius, quod urbs Bremensis jus municipale Saxonicum sive Weichbildicum habeat? de quo supra copiosius actum. Sic nihil habet Brema, quod non Oldenburgum, Delmenhorsta, aliaque vicina municipia sive Weichbildi habeant.

Archiepiscopi Bremensis superbia.

Rulandus index juris Weichbildici.

(*Ornare clypeo & armis*) Acute scilicet hinc colligit GUILHELM. DILICHIUS *in chron. Brem. fol. 58.* ex hisce verbis privilegiorum apparere, ea, jus civitati non dare, sed ornare; nimirum quia ut ipse vult Carolus M. privilegia illa jam ante civitati Bremensi concesserat, eaque conspicuo Rolandi testimonio publice posteris omnibus obsignaverat. Hæc sunt verba Dilichii. Qui autem ea congruunt cum hoc diplomate, in quo propter merita civium Bremensium in passagio terræ sanctæ sub Henrico IV. concessa dicuntur, an merita posteriora esse possunt ipsis privilegiis, an causa suo effectu? an forte Carolus M. cum Rulandum daret, in spiritu trecentis annis ante prævidit, cives hanc gratiam & libertatem suis deificis virtutibus in bello sacro aliquando merituros? pudeat autores tam crassi & inepti deliramenti.

Manifesta contradictio Bremensium.

(*Armis nostris Imperialibus*) Ob quam causam clypeus & insignia olim in judicio suspensa fuerint. Quod si quæ urbs insignia Imp. Romani portis murisque suis insculpserit, non ideo urbs libera Imperialis existimanda fuit: erat enim generale præferre aquilam Imperii, sed una cum illa civitates sui quoque episcopi, Ducis, comitis, principis, dominique intermedii insignia præferebant. Recentius est, quod civitates Germanicæ propria insignia habere coeperint, ab Impp. vel principibus speciali privilegio indulta. Ita Maximilianus Imperator anno 1490. *Amstelædamo* Holland. civitati, cum terra marique longe lateque mercaturam exerceat, nec iis decoretur, quæ ejusmodi civitatem deceant insignibus, concessit Imperiali corona insignia sua ornare. Exstat diploma apud PETR. BERT. *lib. 3.* in *Amstelod.* Bremam insignia sua episcopo debere, clavis quam præfert arguit, illam enim ecclesiasticæ potestatis indicium esse quivis novit, *vid. assert. libert. reipubl. Brem. p. 295. 305. cons. cum sect. XI. n. 5.*

Insignia Imperator. urbibus præfixa.

Amsteld. insignia.

SECTIO LV.

Ultimum caput, continens epilogum & testes.

(*Hinc est attendendum*) Septimum & ultimum caput nempe epilogus diplomatis; quod autor ridicule superioribus annectit.

(*Ut*

(*Ut nullus Dux*) Nimia protestatio præsumtionem falsitatis parit, & clausulæ insolitæ suspicionem fraudis inducunt usque adeo, ut rescripta principum etiam ex motu proprio invalident FRANC. CURT. *Cons. 74.* & quo plus cautelarum, eo plus doli, fraudis & simulationis præsumitur.

Mulcta privilegii Bremensis.

(*Centum libras auri*) Mulcta nimis grandis, & ne in rebus quidem gravioris momenti & totum Imperium concernentibus eo tempore adhibita: observare enim licet, quam exiles olim mulctæ fuerint, & quomodo progressu temporis cum ipso rerum pretio creverint; inde mulcta Romanis dicta quasi minime multa, cum una tantum ovis pro poena penderetur, FEST. POMP., GELL. *lib. II. noctium Attic. 1.* BRECCHÆUS & GODDÆUS *ad l. 131. §. 1. ff. d. V. S.* Fridericus quidem Imp. in *§. si quis vero &c. de pace tenend. 2. feud. 53.* pacis violatoribus centum marcas auri constituit, sed majoribus tantum civitatibus, nam oppidis 30. judicibus 10. privatis etiam 30. libras injunxit; tanti scilicet fecit Henricus V. Imperator civitatem Bremensem, quod ejus privilegia paci publicæ totius Imperii æquaverit, cum tamen idem Imperator privilegium urbis Spirensis eod. a. MCXI. datum nulla mulcta apposita muniverit; quod & in aliis privilegiis Ottonum & Henricorum ecclesiæ Bremensi concessis neglectum videmus.

(*Dimidium cameræ Imperiali*) Phrasis recentior, nec Henrici V. curiæ nota.

(*Hujus rei testes*) Jam dudum mortui & rebus humanis exemti: quos uno fortasse excepto necesse habuit ope Pythiæ cujusdam ex defunctorum contuberniis elicere autor, ut de eo usurpare possis, quod de Mercurio *Virg. 4. Æneid.*

Tum virgam capit, hac animas ille evocat orco
Pallentes.

Manifesta autem falsarii nota est, si is testes instrumento inseri faciat, vel ignorantes vel absentes *l. cum precibus C. de probat.* & multo magis si mortuos, ALEXANDR. *cons. 60. vol. 3.* unde Alexander III. patriarchæ Hierosolymitano rescripsit mandans, ne absentium fratrum nomina privilegiis & confirmationibus inscribi sinat, quia, inquit, talia munimenta sunt irrita & falsa, & tu exinde quæstionem falsi poteris merito formidare, *in C. quando X. de his quæ fiunt à Præl.* Ecquid ergo autor hic eandem non metuat, qui testes etiam mortuos diplomati suo impudenter dicam an imprudenter adscripsit. Deinde etiam ex præposteratione ordinis arguitur falsitas EBERH. *in topic. in loco ab ordine*, quando testes hic confuse sine omni præeminentiæ suæ respectu collocati sunt: quo pertinet illa Urbani Papæ sententia: *ordinem pervertistis fratres*, EBERH. *in topic. in loco 1. n. 7.* Hic autem ordo, sicuti in rescriptis stricte eruatur, ita maxime in collocandis testibus observandus fuerat, ne ex præposteratione ordinis cuiquam præjudicium circa dignitatem generaretur; quia ex ordine scripturæ arguitur etiam ordo dignitatis, ut potior censeatur, quem priorem scriptura recitat KNICH. *ad jus Sax. verb. Duc. Sax. c. 2.* MATTH. STEPH. *lib. 2. de jurisdict. part. I. c. 6. n. 86.* & contra minoris dignitatis qui posteriori loco scriptus est. MODEST. PISTOR. *cons. 51. n. 34. vol. 2.* DOMIN. ARUM. *disc. 3. ad aur. bullam Carol. IV. thes. 14.* hoc autem quam sollicite semper vitaverint principes & episcopi arguunt contentiones de prioritate tanto fervore agitatæ, ut quandoque in apertum bellum proruperint; qualis est illa archiepiscopi Coloniensis cum Abbate Fuldensi præsente Friderico Barbarossa concertatio apud CRANZ. *lib. 6. Sax. 46.* ARNOLD. *Lubec. lib. 3. chron. Slav. 9*; & quæ plura alia exempla cumulant ARUM. *in disc. 3. ad aur. bull.* KNICH. *de jur. Sax. verb. Ducum c. 2. n. 33.* Ut merito autor hic ordinem pervertens, dici possit, habenam in cauda equi collocasse ejusque posteriora frenasse verbo veterum. WAREMUND. *ab Erenberg lib. 1. de foed. n. 142.*

SECTIO LVI.

De Annone Coloniensi 35. annis ante defuncto.

(*Anno archiepiscopus Coloniensis*) Primus hic statuitur testis, sed sine distinctione numeri, cum procul dubio Anno ejus nominis 2. comes in *Schowenberg* intelligi debeat; is autem sub Henrico 3 ad archiepiscopatum promotus Henrici V. imperium vivendo longe non attigit; electus est enim sub Henrico III. & consecratus V. Non. Martii, A. C. 1055. PETR. BERT. *lib. 5. comm. p. 505.* PETR. MERSÆUS *in annal. Coloniens. autor vitæ S. Annon. lib. 1. c. 5.* SIEGEBERT. GEMBLACENS. MARIAN. SCOT. *& alii.* ac post ejus mortem Henricum IV. Imperat. unxit, JO. GIGAS *in prodrom. Geograph. catal. episcop. Colon.* cujus etiam tutor cum Adalberto archiepiscopo Bremensi constitutus fuit, LAMBERT. SCHAFFNABURG. ADAM. BREM. *c. 151. & sqq.* ea occasione cum frequens Imperatori adesset Anno, ideo ejus in diplomatibus & privilegiis ejus temporis crebra fit mentio. Ita exstat privilegium Henrici IV. datum XV. Calend. Octob. a. 1057. ecclesiæ Goslariensi, in quo ob interventum genitricis Agnetis & Annonis Coloniensis archiepiscopi fratribus curtilia quædam cum censu conceduntur; sed & in aliis Henrici IV. diplomatibus sæpe ut testis allegatur Anno, ut verisimile sit exinde, autorem hujus pseudo privilegii testem hunc mutuatum esse. A. 1073. petiit a rege vacationem sibi dari Anno caussatus senium & imbecillitatem suam; quam cum impetrasset a. 1075. in monasterium Sigebergense secedens nusquam inde discessit, LAMB. SCHAFFNAB. *Ann. Trevir. lib. 12.* sicque sub fine ejus anni 2. Non. Decembris ex humanis discessit, AUTOR *vitæ S. Annonis lib. 3. c. 15.* LAMB. SCHAFFNAB. SIEGEBERT. BERTHOLD. *Constant. in append. ad Hermann. Contr.* MARIAN. SCOT. *magn. chron. Belgic. annal. Trevir. lib. 12.* JO. GIG. *d. l.* sepultus Sigebergæ in coenobio a se condito, SUR. *in vita Annon.* vel a. 1076. ut vult magnum chronicon Belgicum, cujus autor cum annales pontificum Coloniensium sequatur, exinde corrigendum est mendum chronologicum apud Petr. Mersæum ut obitus Annonis ad a. 1076. referatur: sic enim convenit numerus, quia a. 1055. ad archiepiscopatum promotus est Anno, ut dictum, sedit autem XXI. ann. *aut. vitæ S. Annon.* & MERS. *d. l.* ergo a. 1076. obiisse eum oportet. Et quanquam MARIANUS SCOTUS obitum

Error numeri in Petr. Mersæo.

obitum ad a. 1077. transponat, cum quo etiam HENRICUS MEIBOMIUS facit, confisus chronico vernaculo; tamen sic dissensus scriptorum leviculus est, ut ex eo contigit, quod alius annos completos supputavit, alius annos coeptos pro completis habuit: sufficit, alterutro horum annorum, Annonem hunc in vivis esse desiisse & quidem senem ad minimum sexagenarium, quippe qui in juvenili ætate non solum militem, sed postea ad studia promotus, etiam Rectorem Gymnasii Bambergensis egit BRUSCH. & MERSÆUS *in catal. episc. Coloniens.* sed & Henrici III. aulæ admotus tribus expeditionibus in Hungariam interfuit, quarum ultima incidit in a. 1045. ABB. STAD. *ad hunc ann.* uti circa a. MCXI. fere centenarium eum fuisse oportuerit. Annoni successerunt Hildolphus Sacellanus Henrici IV. a. 1076. Sigewinus a. 1079. Hermannus III. a. 1089. & tandem Fridericus I. Marcchio Forolivienſis a. 1099. BRUSCH. & MERSÆUS *in catal. archiep. Coloniens. magn. chron. Belgic. Abb. in append. ad Marian. Scot.* LAMB. SCHAFFNAB. *Gothofr. Viterbiens. ad hunc ann.* Hic est Fridericus archiepiscopus Coloniensis, qui in comitiis Moguntinensibus cum archiepiscopo Moguntino, Wormatiensi & aliis Henricum V. filium ad imperium promovit, & in solemni legatione Henrico IV. Patri apud Ingolheim constituto regalia sive insignia Imperialia ademit a. 1106., de quo HELMOLD. *lib. 1. chron. Slav. 32.* ALB. *Abb. Stadens.* NAUCLER. CRANZ. *lib. 5. Sax. 20.* OTTO FRISINGENS. *lib. 2. Chronic. 11.* MÜNSTER. *lib. 3. Cosmograph. tit. de Mogunt.* SPANGENB. *in chron. Sax. c. 210.* cum exinde bellum nasceretur, Colonia urbe Henricum patrem recipiente, Fridericus archiepiscopus Henrico filio adhæsit eod. a. 1106. MAGN. *chron. Belg. & alii* qua de actione exstant litteræ & decreta quædam Henrici tam senioris quam junioris de eod. an. apud GOLDAST. *tom. unic. const. fol. 147.* & seqq. Sequenti 1107. a. ad hujus Friderici & aliorum principum instantiam Imperator Henricus V. Berengero Abbati & fratribus monasterii ad S. Maximinum apud Trevirenses concessit curtes & possessiones quasdam. Exstat diploma in archivis Trevirensibus, ex quibus id in camera in causa Fiscalis contra Trevirensem & Abbatem in puncto exemtionis productum & secundum illud pro Archiepiscopo pronunciatum. Sed & a. 1108. ab Henrico Imperatore donatio quædam templo Misnensi facta est, quam una cum Brunone Trevirensi & Adalgago Magdeburgensi Fridericus hic confirmavit. PETR. ALBINI *in annal. urb. Misnens. fol. 28.* A. 1110. & sequenti incepit actio Imper. cum Paschali Papa in Italia, cui etiam Fridericus Coloniensis interfuit, ac cum Gebhardo Tridentino, Burchardo Monasteriensi aliisque obsidibus pro fide Imperatoris legatis Pontificiis juramentum præstitit. Exstat apud GOLDAST *d. tom. un. fol. 253.* ibidem Fridericus cives Romanos tumultuantes magna strage confecit, Cæsaremque constrictum eripuit, ABB. TRITHEIM *in chron. Hirsaugiens. ad a. 1111.* sed & Imperatorem ex Italia redeuntem Spiram comitatus, illic non solum sepulturæ Henrici IV. Cæsaris, sed etiam concessioni privilegiorum civitati Spirensi factæ interfuit, dicto a. MCXI. ita enim inter principum testimonia, quorum consilio & intercessione Cæsar Henricus V. permotus privilegium illud concessit. Primus numeratur Fridericus Archiepiscopus Coloniensis, apud CHRISTOPH. LEHMANN. *lib. 4. chron. Spir. 22.* a. sequenti 1112. ad hujus Friderici & aliorum interventionem Cæsar monasterio S. Maximini Trevirensium privilegia sua confirmavit, exstat in *archiv. Trevirens.* cum vero hoc tempore Cæsar Pontificis gratia excidisset, & Saxones, parentis hostes, contra se concitasset, quod Adalbertum Moguntinum aliosque principes cepisset, Fridericus Coloniensis quoque a Cæsare aversus & cum aliis principibus conspirans, ipsum ad obsidendam urbem Coloniensem attraxit, ABB. URSPERGENS. *in Henric. V. fol. 257.* quem sequenti anno Fridericus totis viribus oppugnare coepit, MAGN. CHRON. *Belgic. fol. 144.* OTTO FRISING. *lib. 7. chron. 15.* ABB. STADENS. *fol. 154.* donec tandem tota hæc controversia de investituris episcoporum sopiretur, Cæsare juri suo renunciante a. 1122. ABB. URSPERGENS. & STAD. *d. l.* CRANZ. *l. 5. Sax. 41.* cui pacificationi in comitiis Wormatiensibus etiam Fridericus Coloniensis cum Adalberto Moguntino subscripsit apud GOLDAST. *tom. un. fol. 258.* sequenti a. 1123. Fridericus Godebaldum Ultrajectensem episcopum propter motum civium contra Cæsarem excitatum in carcerem conjectum sua intercessione liberavit, URSPERG. *fol. 268.* CRANZ. *lib. 5. Sax. 43.* MERSÆUS *in catalog. episcop. Ultraj. in Godeb.* denique cum an. 1125. Henricus V. diem suum obiisset, Fridericus Coloniensis una cum Adalberto Moguntino aliisque Ottoni episcopo Babenbergensi per litteras id significavit eumque ad electionem novi regis invitavit. Exstant litteræ apud GOLDAST. *d. l. fol. 259.* in quo actu Lotharius Dux Saxoniæ in Imperatorem electus est III. Calend. Sept. OTTO FRISING. *lib. 7.* CHRON. *17. & lib. 1. de gest. Frider. 15.* ABB. *Stadens.* ALB. CRANZ. *lib. 6. Sax. 1.* NICOL. SERARIUS *lib. 1. rer. Moguntinens.*, licet URSPERGENS. *a. seqv. 1126.* id factum velit. Sic Lotharium Imp. Aquisgrani coronatum DODECH. *in app. ad Marian. Scot.* in Italiam comitatus est; ex quo itinere domum reversus obiit a. 1131., cum ecclesiæ Coloniensi præfuisset ann. XXXIII. ABB. STAD. MAGN. CHRON. *Belg. fol. 136.* PETR. MERS. *in Frider.* ex qua serie annorum & rerum gestarum a tot gravissimis autoribus descriptarum ad oculum patet, Fridericum archiepiscopum Coloniensem toto Henrici V. tempore, ab initio usque ad finem supervixisse, Annonem vero ejus prædecessorem diu ante sub Henrico IV. defunctum, & quidem quinquennio ante, quam Henricus V. nasceretur, ut ex vitæ Cæsareæ curriculo colligitur, quippe quem A. C. 1125. ætat. 45. regni 19. defunctum juxta URSPERGENS. *Stad.* & chronolog. passim REUSNER *in genealog. Imp.* anno 1080. natum esse oportuit, ut infelix autor prætensi diplomatis, in hujus demortui testis chronologia totos 35. annos aberrarit, errore

& centum flagris, & larga cæde piando.

Anno senex.

Annonis successores.

Fridericus archiepiscopus Coloniensis.

Fridericus Henricum IV. regalibus privat.

Fridericus ab urbe Colonia dissentit.

Donatio quædam a Friderico confirmata.

Fridericus in Italia Cæsaris obsès.

Pugnat contra Romanos.

Exequiis Henrici IV. interest.

Testis privilegii Spirensis.

Fridericus Cæsaris inimicus.

Pacificatio Cæsaris & Pontificis.

Fridericus interest comitiis Wormatiensibus.

Pro episcopo Ultrajectino intercedit.

eumque Aquisgrani ungit.

Friderici obitus.

Henrici V. ætas.

SECTIO

SECTIO LVII.

De Ruthardo Moguntinensi biennio ante defuncto.

Ruthardus Moguntinus secundus testis.

(*Ruthardus archiepiscopus Moguntinus*) Secundus hic statuitur testis, errore quidem magis tolerando, sed tamen etiam ordine perverso & præposterato, cum Colonienſi anteponi debuisset; ita enim non solum Ruthardus in privilegio an. 1107. dato monasterio S. Maximini, sed etiam in diplomatibus de a. MCXI. quæ ex Goldasto retulimus, Adalbertus successor Ruthardi Friderico archiepiscopo Colonienſi semper præponitur, quam prærogativam Moguntinus ab antiquo habuit test. OTTONE FRISING. *lib. 1. de gest. Frid.* utpote Cancellarius Germaniæ & Decanus principum electorum, sicuti appellatur in EPIST. ELECTOR. *ad Benedict. XII. Pontif. ed. a* MARQU. FREHER. *tom. 1. rer. germ.* ut etiam propterea primam vocem & dignitatem habeat attestante GÜNTHERO lib. 6. Ligurini:

Moguntinus Colonienſi semper præponitur.

Ad proceres electio pertinet, in qua
Præcipuam vocem præsul de more vetusto
Moguntinus habet. &c.

Unde prædictus Adalbertus gloriari solebat, se reges in pera habere, innuens & eligere & deponere Impp. se posse, URSPERG. *in vita Adalb.* eumque in electione Henrici V titulum Decani & jus convocandi electores habuisse refert CUSPIN *in Henr. V.* FRISING. *d. c. 16.* vid. ÆN. SYLV. *in descript. German. c. 30.* PAURM. *lib. 2. de Jurisd. Imper. 2. n. 45.* CLUTEN. *in syllog. rer. quotidian. thes. 24. lit. H.* GERLAC. BUXTORFF. *synd. Bremens. in differt. ad aur. bull. Carol. IV. thes. 15. lit. A.* & ibi ARUM. *in discurs. 1. membr. 23. pag. 30. &c.* Jam autem Decanus utpote caput collegii FRANCISC. MARC. *decis. 923. n. 2. & 10. & Decis. 136. n. 11. part. 1.* cæteris collegis honoratior merito habetur *C. post electionem X. de concess. præb.* PETR. GREG. THOLOS. *lib. 2. part. Juris Canon. tit. 9. c. 5. n. 4.* ergo Moguntinus in ordine scripturæ non minus, quam in præcedentia & sessionibus Colonienſi præferri debuisset; sicuti eam prærogativam, ipsi cæteri electores sine controversia ultro tribuunt; quo pertinent vetusti versiculi, de trium Electorum ecclesiasticorum prærogativa:

Moguntinus Electorum Decanus.

Decanus cæteris honoratior.

Moguntino a collegis prærogativa sponte tribuitur.

Electorum ecclesiasticorum prærogativa.

Treveros ætate, sed rerum proprietate
Gaudet *Agrippina*, sed honore *Moguntia* prima.

Quod multo magis obtinere debuerat, ex quo hæc concessio privilegii Henricani Moguntiæ in territorio imo in propria civitate archiepiscopi Moguntini facta fingitur, quia etiam major minori reverentiam debet, quando est in domo minoris TIBER. DECIAN. *Vol. 2. 67. n. 1. Chass. in catal. de glor. mund. part. II. consider. 13.* & archiepiscopus veniens in terram episcopi debet honorare episcopum *Chassan. d. l. part. 4. consid. 22.* quia quilibet est Rex in sua domo LUDOV. *de* MOLIN. de *primogen. Hispan. lib. 1. c. 2. n. 24.* etiamsi sit rusticus; sicuti ejus rei facetam historiam recenset HENNING. GOEDEN. *cons. 2. n. 6.* TIBER. DECIAN. *d. cons. 67. n. 13.* quam differentiam etiam Carolus IV attendit *in aur. bull. c. 3.* ergo Colonienſis, procul dubio Moguntino, in sua ditione & urbe propria existenti primum locum concessisset, utpote domino territoriali per *gloss. in l. apud eum ff. de manumiss. vindic.* Sicuti Moguntinus Colonienſi in suo foro & choro CRANZ. *lib. 9. Sax. 29.* Neque potuisset hic stilus curiæ privilegiographum Cæsaris latere, si non totum hoc diploma falsum esset, cujus autor indoctior nihil de hac principum prærogativa cognitum habuit. Deinde Ruthardus eo tempore anno scilicet IIII. non amplius vixit, utpote biennio ante defunctus, quod minimum est autoris ex omnibus ἀμάρτημα; obiit enim A. C. 1109. BRUSCH. & MERSÆUS *in catal. archiep. Moguntin. annal. Trevir. lib. 13.* DODECHIN. *in append.* & MARIAN SCOT. *Erfurt. in add. ad* LAMB SCHAFFNAB. GODOFR. VITERB. PAUL. LANG. *in chron. Citicens.* ABB. URSPERG. & *Stad.* BARON. *in annal. eccles. ad a. 1109.* PANTAL. *in prosop.* Sepultus in episcopi monte h. e. in Rigavienſi S. Johannis monasterio. NIC. SERAR. *lib. 5. rer. Mogunt. pag. 800.* In ejus locum substitutus est Adalbertus natione Lotharingus, Henrici V. Cancellarius, & primus inter primos ejus præcordialis consiliarius, ut vocat OTTO FRISING. *lib. 7. chron. 14. Mers. d. l.* quem etiam annulo & baculo donavit Cæsar, ABB. URSPERG. *fol. 255.* ABB. TRITHEIM. *in chron. Hirsaugiens.* cujus hæc sunt verba: Anno Brunonis Abbatis tertio (qui fuit A. C. 1109.) Ruthardus archiepiscopus Moguntinus obiit, cui Adalbertus cancellarius Regis in ordine successit, *add. Annal. Trevir.* & NICOL. SERAR *d. l.* Quamvis vero sint, qui Adalbertum hunc post reditum Cæsaris ex Italia archiepiscopum Moguntinum demum factum scribant, ex quibus dubio procul errorem hunc fuxit JOH. FUNCCIUS *in comm. chronol.* tamen illi ad investituram postea subsequentem respexerunt, quod aperte colligere est ex verbis URSPERG *fol. 255.* habita post hæc (sepulturam Spirensem intelligit a. MCXI. celebratam) Moguntiæ curia Adalbertum cancellarium suum, dudum ad eandem cathedram electum, baculo & annulo vestivit. add. OTTON. FRISING. *l. 7. c. 14. annal. Trevirens. ad a. 1111.* Alioquin certum etiam in Italia a. MCXI. utramque dignitatem & cancellarii & archiepiscopi ipsum sustinuisse; ita enim cum Friderico Colonienſi inter primos Cæsaris obsides seu sponsores numeratur *in diplom. supra citat. ex Goldast. & Dodechin.* usque adeo, ut ejus diffidii culpam in Adalbertum Moguntinum non obscure transferat OTTO FRISING. *d. c. 14.* Cæsare in Germaniam reverso de Adalberto nihil reperitur; neque enim exsequiis Spirensibus Henrici IV. interfuisse legitur, ut conjicere liceat vel propter instantem curiam & investituræ actum Moguntiam ipsum præcessisse vel substitisse in Italia, ac pro confirmatione electionis suæ apud Pontificem sollicitasse, eoque factum fortasse, quod ad partes Pontificis postea transierit; ita enim anno sequenti 1112. cum Paschalis Papa pactum cum Imperatore super investituris episcoporum initum in concilio Laterano retractasset, Adalbertus mutata sententia illi subscripsit, FUNCC. *d. loco* HELMOLD. *lib. 1. chron. Slav. 12.* ABB. STAD. *fol. 152.* CRANZ. *lib. 5. Sax. 34.* NICOL. SERAR. *d. l. p. 802.* Unde,

Ruthardus biennio ante defunctus.

Ruthardi sepulchrum.

Adalbertus Ruthardi successor.

A Cæsare investitus.

FUNCCII error.

Adalbertus Decreto Lateranoſubscribit.

de, cum indignationem Cæsaris incurrisset, atque ipse cum Saxonibus occulte conspirasset, ab eodem carceri inclusus est, URSPERG. HELMOLD. ABB. STAD. SERAR. *d. l. Magn. chron. Belgic. fol. 144. chron. Elwalgens.* DODECH. *Abb. in append. ad Mar. Scot. ad an. 1112.* SPANGENB. *in chron. Sax. c. 213.* inde triennio, ut plerique, vel quadriennio post, ut *Serarius*, opera civium Moguntinensium contra Cæsarem rebellantium liberatus, & sic ab invito dimissus ab Ottone Babenbergensi consecratus est Coloniæ an. 1117. URSPERG. *d. l.* DODECH. *in app. d. l.* Exstat privilegium ob hæc merita civibus Moguntinensibus ab Adalberto a. 1135. concessum, quod se corpore ex toto attenuatum vix semivivum ex carcere liberassent *post Conrad. episcop. chron. Mogunt. tom. 1. Urstis.* ABB. STAD. meminit ad a. 1115. Hanc injuriam ulturus, cum Friderico Coloniensi excommunicationem Cæsaris procuravit ac Coloniæ publicavit. GOTHOFR. VITERB. *in chron. part. 17. fol. 5.* OTTO FRISING. *lib. 7. chron. 15.* CRANZ. *lib. 5. Sax. 36. Abb. Stad. & Serar.* d. l. unde iterum odium Cæsaris incurrit, usque adeo ut etiam per sententiam læsæ Majestatis damnaretur. Exstat edictum Henrici V. ad cives Moguntinenses apud GOLDAST. *tom. uno const. fol. 257.* in quo ipsius commissa recensentur. add. OTTON. FRISING. *lib. 1. de gest. Frid. 13. Cent. Magdeb. 12. cap. 16.* Ideo exul in Saxonia, ejus provinciæ principes contra Cæsarem excommunicatum conciliavit an. 1121. URSPERG. *d. l. fol. 264.* Tandem a. sequenti 1122. pace inter Cæsarem & Pontificem facta Adalbertus quoque comitiis Wormatiensibus interfuit, & transactioni illic initæ subscripsit apud GOLD. URSP. & SERAR. *d. l.* sequenti anno Erfurdiæ obsessus legitur in additionib. ad LAMB. SCHAFFNAB. *a. 1123.* biennio post Henrico V. Imp. defuncto, Adalbertus hic conventu in urbe Moguntia indicto, Lotharium Saxonem in Cæsarem Romanum elegit a. 1125. OTTO FRISINGENS. *de gest. Frider. 15.* ABB. STAD. & SERAR. *d. l.* obiit A. C. 1137. IX. Cal. Jul. cum sedisset annos XXVIII. BRUSCH. MERS. SERAR. *d. l.* OTTO FRISING. *lib. 17. chron. 21.* ut ex toto hoc curriculo satis superque ad oculum pateat, Adalbertum hunc an. MCXI. archiepiscopatum Moguntinensem obtinuisse Ruthardo antecessore biennio ante defuncto.

A Cæsare incarceratur.

Privilegium civibus Moguntinensibus datum.

Adalbertus damnatur læsæ Majestatis.

In Saxonia exul.

Elegit Lotharium Cæsarem.

Adalberti obitus.

SECTIO LVIII.

De Friderico Halberstadensi, ad minimum quadriennio ante vel defuncto vel remoto.

(*Fridericus episcopus Halberstadensis*) Tertius hic statuitur testis in prætenso diplomate Bremensi, atqui in catalogo episcoporum Halberstadensium *C. Sparis* BRUSCHII ac *Melchioris* NEOPHANII nec non PETRI BERTII *comm. lib. 3. p. 566.* nullus alius reperitur episcopus hoc nomine, quam Fridericus Burggravius Kirchbergensis, electus a. 1209. Itaque ne autorem hujus diplomatis integri seculi errore nimis pudendo, confundamus, puerisque in schola exsibilandum propinemus, quem non tam ingenii acrimonia quam fingendi audacia valuisse apparet, in viam ita deducemus, ut solius quadriennii errore evadat; pro quo tamen, si rigidius agere velis etiam sexennium numerare posses. Constat enim post obitum Stephani Herrandi episcopi Halberstadensis Imp. Henricum IV. circa an. ch. 1100. collegio Halberstadensi inter sese super electione discordanti Fridericum quendam obtrusisse, quod non dissimulat GOBELINUS, *in Cosmodr. ætat. 6ta c. 55.* dum ait, Fridericum Halberstadensem una cum aliis per Henr. Imp. contra canonicam electionem sedem suam obtinuisse; itaque ab eo tempore aliquamdiu pro episcopo se gessit Fridericus. Ceterum a. 1105. Ruthardus archiepiscopus Moguntinus & responsalis domini Papæ hunc quoque Fridericum una cum Udone Hildesheimensi & Henrico Paderbornensi tanquam pseudoepiscopos ab officio suspendit, omniaque eorum acta decretaque in rebus ecclesiasticis irrita pronunciavit. Hæc in comitiis Quedlinburgensibus circa festum paschatis celebratis præsente Henrico V. acta sunt, teste *Gobel. d. c. 55.* quamquam alii id comitiis Northusensibus, paulo post in mense Majo habitis tribuunt, ut GOLDAST. *tom. un. Const. fol. 248. ex chron. Abb. Schwarzenbag.* CRANZ. *lib. 5. Sax. 17.* ut forte quod Quedlinburgi inceptum erat, Northusii ad finem perductum sit. Id certum, quod communi decreto Northusii IV. Calend. Junii facto, eadem hora, prædicti episcopi Udo, Henricus & Fridericus vestigiis Metropolitani prostrati, ipsius atque regis stantis, totiusque præsentis ecclesiæ testimonio Apostolicæ se dederunt obedientiæ; quorum etiam commissa Apostolico nihilominus judicio reservantur sub officii tantum sui suspensione. Hæc sunt verba URSPERG. *in chron. fol. 244.* Huic adstipulatur *chron. MSCt.* quod REINER. REINECC. alicubi Erfurdense vocat, hisce verbis: *Darna dresche* (Henricus V.) *uth dem Lande to Sassen alle de ungelörich wæren, und unrecht und vorbannet, unde settede wedder on ere Stede, de recht und guet wæren. De Bischof Frederich von Halverstadt wart entsatt durch sine* Simoney &c. & quamvis duo illi Hildesiensis & Paderbornensis pro restitutione sua strenue laborantes gratiam postea invenerint sedibusque suis restituti sint, de Friderico tamen quid actum sit, non invenitur; nisi quod eodem anno conventui Ratisbonensi cum aliis interfuit: de quo Tritheim sic scribit *in chron. Spanh. ad a. 1105.* Rex Henricus junior de consilio Ruthardi archiepiscopi Moguntini, Ruperti Herbipolensis, Udonis Hildesheimensis, Friderici Halberstadiensis & aliorum Gebhardum Abbatem Hirsaviensem designavit episcopum Spirensem. Meminit etiam BRUSCH. *in hist. episc. Spirens.* Sive ergo depositus fuit sive paulo post mortuus Fridericus. Hæc causa est, quare ipsi inter episcopos Halberstadenses consessus nullus ab historicis tribuatur; unde BRUSCHIUS in *catalogo episcoporum Halberstadens.* totum Friderici curriculum pro interregno habet. Scribit enim, post Herrandi episcopi mortem, sedem per sexennium vacasse tum propter turbas Saxonicas, tum etiam propter disceptationes Canonicorum Halberstadensium. Indubitatum est autem, Reinardum sive Reinerum episcopum a. 1107. coepisse

Fridericus Halberstadensis tertius testis.

Fridericus Burggravius.

Fridericus collegio per vim obtrusus.

Fridericus ab episcopatu suspensus.

Modica discrepantia tollitur.

Fridericus pro restitutione supplicans.

Chronicon MSCt. Erfurdense.

Fridericus interest rejectioni episcopi Spirensis.

Inter episcopos Halberstadienses non numeratur.

pisse FABRIC. *lib. 2. memor. Saxon. fol. 182.* PANTAL. *in prosopop. part. 1. fol. 344.* PETR. BERT. *lib. 3. comm. de reb. Germ.* SPANGENB. *in chron. Sax. c. 213.* CRANTZ. *6. Metrop. 6.* BRUSCH. & MELCH. NEOPHAN. *d. l.* Qui *Reinerus* etiam sequenti a. 1108. collegium canonicorum Regularium sive Augustinianorum Osterwigæ fundavit. quod post quadriennium translatum est *Hammerslebium*, ubi hodie superest; de quo in annalibus ejus coenobii. Ceterum cum Saxones ab Adalberto Moguntinensi contra Henricum V. Cæsarem incitati essent a. 1112, Reinerus Halberstadensis inter primos fuit; quod ita carmine descripsit *Neophanius:*

Reinerus fundator coenobii Hamerslebiensis.

Reinhardus Henrici V. hostis.

Inprimis Moguntiacus quem carcere Cæsar
Idcirco inclusit rigido, Reinhardus & hujus
Antistes sedis suspectum hinc inde tyrannum
Principibusque viris invisum reddere cunctis
Conati in juvenem junxerunt foedera regem.

Idem foedus Reinhardo post instigante biennio renovatum est; de quo idem Neophanius:

Foedus Saxonum contra Cæsarem.

Cæsaris infensam metuentes Saxones iram
Pristina Reinhardo renovarunt pacta monente.

Unde indignatus Cæsar Reinhardum hunc cum aliis principibus deposuit a. 1114. *chron. Wiprecht comit.*, SPANGENB. *in chron. Sax. c. 214.* Sequenti anno Cæsar collecto exercitu Saxoniam ingressus, cum Principibus Saxonicis, quorum primi erant Luderus Dux (postea Lotharius Cæsar) & Reinhardus episcopus Halberstadensis conflixit, victoria apud Saxones consistente URSP. *fol. 257.* PAUL. LANG. *in chron. Citicens.* HELMOLD. *lib. 1. chron. Slav. 41.* ALB. ABB. STAD. *ad a. 1115.* CRANZ. *lib. 5. Sax. 36.* SPANGENB. & NEOPHAN. *d. l.* Facta est pugna ad sylvam Welphonis (*Welfsholtz*) prope Helmstadium acad. Juliæ sedem. FABR. *in elect. Sax.* ubi a Saxonibus victoribus idolum *Tiodutæ* est erectum, *Onomast. Pyrnens.* HELMOLD. & CRANZ. *d. l.* cujus statuæ supra mentio facta est. De eadem exstant versus, *in cent. Magdeb. 12. c. 16.*

Reinhardus a Cæsare depositus.

Pugna Saxonum cum Cæsare ad sylvam Welphonis.

Idolum Tiodutæ a Saxonibus erectum.

Anno milleno centeno ter quoque quinto
Sylvam Welphonis perfuderat unda cruoris.

Præ ceteris taxatur Reinhardi Halberstadensis insignis crudelitas, quod cæsis a parte Cæsaris sepulturæ communionem interdixerit. URSPERG. *& centur. Magdeb. d. l.* Anno 1120 Reinerus alterum Canonicorum Regularium collegium *Schöningæ* prope Helmstadium fundavit; in cujus literis fundatoriis annum illum ordinationis suæ 13 vocat. Obiit a. 1122, cum episcopatui præfuisset annis XV. ut FABR. *d. l.* 2. PETR. BERT. BRUSCH. NEOPH., *autor. hist. com. Wiprecht.* & alii testantur; qui de completis annis intelligendi sunt, nam alioquin obiit a. 1123. inchoante & quidem VI. Non. Martii, ut *chron. Pegavens. & monum. monast. Huiesb.* habent. Cum ergo ex sic dictis liquido constet, Reinhardum hunc a. MCXI. indubitate ecclesiæ Halberstadensi præfuisse, Friderico ante a. 1107. vel naturaliter vel saltem civiliter mortuo; sequitur autorem prætensi diplomatis Bremensis in assignatione hujus testis ad minimum quadriennio aberrasse, qui etsi Reinhardum nominasset, fidem tamen non meruisset, quia credibile non est, inimicum ac rebellem principem in conspectum Cæsaris prodiisse, multo minus ab eodem pro teste adhibitum esse.

Collegii Schöningani fundatio.

Reinhardi obitus.

SECTIO LIX.

De Udone Brandenburgensi quinquennio ante defuncto.

(*Udo Marchio in Brandenburg*) Quartus hic est testis in ordine & inter seculares primus; sed in hoc quoque collocando imperitus autor crassissime impegit, dum Marchionem hunc duobus Ducibus prætulit: est enim cuivis e plebe notum, Ducis dignitatem Marchione superiorem esse CONRAD. *cancell. in templ. omnium judic. lib. 1. c. 4. de Duc.* quia Dux plures comites sub se habet aliquando 12. ut PITH. *lib. 1. adverf. 8.* RENAT. CHOPPIN. *de domin. Franc. lib. 1. tit. 5. n. 12.* HOTOMANN. *in lex. Feud. verb. Duces*; aliquando etiam pauciores HEIG. *part. 1. quæst. 2. n. 38.* Atque ita semper in scriptione collocantur; Dux, Marchio, comes. *princ. de his quæ feud. dar. poss. in usib. feudor. art. 57. lib. 3. Land-Recht.* eundemque ordinem in subscriptionibus principum semper observatum reperimus. *in usib. feudor. §. si sint principes de pac. constitut. & passim.* Immo ipse autor paullo ante Ducem præposuit, ibi, *ut nullus Dux, nullus Marchio, nullus comes. &c.* Cur ergo ejus ordinis oblitus hic? ordine turbato præcedit Marchio, Magnum Ducem, scilicet Saxoniæ & dignitate priorem & ætate provectiorem. Cautior ea in re LIEMARUS archiepiscopus in diplomate de a. 1086. ap. LINDEBROG., cautiores HELMOLDUS & *Alb. Abb. Stad.* qui, quantumvis monachi de utroque principe loquentes, semper juxta stilum curiæ Magnum primo loco collocant: deinde scriptores & diplomata ejus temporis Udonem absolute Marchionem indigitant; nunquam Brandenburgi epitheton sive titulum tum adhuc ignotum addunt, vid. AD. BREM. *l. 2. c. 56. chron. Pegaviens. ad a. 1140.* SCHAFFNAB. *p. 122.* HELMOLD. *l. 1. c. 27.* BRUN. *de bello Saxon.* ALB. STAD. *pag. 133. fac. 2. & pag. 152. fac. 2. diplom. Henrici IV. sub. data a. 1062. 5. Cal. Jun. apud.* LINDEBR. *it. aliud de eod. a. IX. Cal. Novembr.* Ne autem cum jam dicto privilegiographo nos quoque in tenebris ambulemus, annotandum est, duos fuisse Udones cognomines in familia comitum Stadensium, cujus genealogiam nobis exhibuit, ALB. ABB. *Stadens. ad a. 1144.* & sincerius ibid. REINECC. *in append. stemm. 5.* primus Udo (aliis Otto item senior dictus) cum ex comite Marchionatus dignitatem adeptus esset, tempore Beselini archiepiscopi Bremensis, sub quo vixit (test. AD. BREM. *c. 110. Abb. Stad.* ad. *a. 1042.* obiit a. 1082. ut *chron. Stederburg MSCt.* testatur hisce verbis: A. 1082. Udo Marchio Saxon. obiit, vel ut alii 1085. REUSNER. *in geneal. fol. 187.* cujus viduam Praxedem filiam Jaroslai Ducis Russorum Henricus IV. Cæsar, secundis nuptiis sibi copulavit, Coloniæ a. 1089. URSPERG. *in chron. pag. 127.* TRITHEIM. *in chron. Hirsav.* ABB. STAD *fol. 140. hist. archiep. Bremens. in Liemar.* REUSN. *d. l.* PHILIPP. *l. 4. chron.* SPANGENB. *in chron. Sax. c. 210.* Hujus Udonis filius ex priori matrimonio fuit Udo II. sive junior, ut vocatur a

Udo Marchio quartus testis.

Dux Marchione dignior.

Duces ante Marchiones subscribunt.

Duo Udones in familia Comitum Stadens.

Vidua Udonis nubit Henrico IV. Cæsari.

Udo II. filius.

CRANZ. *lib. 6. Sax. 6.* alio nomine etiam Lutgerus dictus, quasi minor Udo, cujus meminit *chron. Stederburg* ad a. 1098. literæ *Albini Merseb. episcopi in chron. Pegaviensi.* ABB. STAD. *fol. 152. fac. 1. & fol. 164. fac. 2.* obiit a. 1106. ac Hersfeldiæ sepultus est marchionatu Henrico filio parvulo relicto, ABB STAD. *fol. 150.* CRANZ. *lib 6. Metrop. 105.* HIER. HENNING. & ELIAS REUSNER. in *geneal. chron. Erfurdens. MSCt.* licet chronicon *Stederburg.* ad ann. sequentem reijciat, ut in hoc teste assignando quinquennio tardior sit autor. Quamvis vero videatur, colligi posse ex verbis ALB. ABB. STADENS. *ad a. 1112.* quod etiam referunt & sequuntur CRANZ. *l. 5. Metrop. 37. hist. archiep. Bremens in Frider.* sed non recte accepit HAMELMANN in *chron. Oldenb. part. 1. c. 17.* quasi illo adhuc tempore nempe a. 1112. vixerit Udo II.; tamen Abbas ita intelligendus est, ne secum ipse pugnet neve sibi contradicat per ea, quæ annotant JCti, HEIG. *part. 1. quæst. 20. n. 15.*, quippe qui paullo ante Udonem hunc quinquennio ante defunctum fuisse scripserat. Itaque hoc vult Abbas, *Elimarum comitem Oldenburgicum* movisse quæstionem de hereditate aviæ suæ *Idæ* contra principes Stadenses, Udonem Marchionem & filium ejus Henricum, quærens scilicet, an juste & quo titulo eam adepti essent; actionem autem ipsam contra comitem Fridericum administratorem & quasi curatorem Henrici post mortem Udonis intentasse. Hinc est, quod Elimaro comiti non cum patre Udone utpote jam dudum defuncto neque cum Henrico filio utpote pupillo & minore, sed cum Friderico comite lis fuit; quomodo enim Fridericus hic ex matre peregrina natus in aula Udonis marchionis educatus sit & primo ipsi administratio quarundam villarum, postea etiam ipsius comitatus demandata fuerit, idem Abbas exponit; tandem inquit mortuo II. Udone, relictus est puer Henricus, sub quo Fridericus coepit adspirare ad libertatem, utpote qui multum erat locupletatus, & penes quem administratio comitatus & omnium possessionum parvi erat; quo ipso Udonem mortuum fuisse præsupponitur. Ab hoc ergo Friderico curatore quæstione summotus est Elimarus in jure & causa, sed largitionibus juxta CRANZ. *lib. 5. Metrop. 37.* Ceterum Udonis II. frater Rudolphus, licet Dithmarsiam pro portione hereditaria a patre obtinuisset, CRANZ. *lib. 6. Saxon. 6.* UBB. EMM. *lib. 6. rer. Frisic. in fin.* tamen defuncto fratre Udone Marchiam Soltquellensem Primislao Obotrito ereptam obtinuit: quæ causa est, quare ipsum Marchionem & electorem Brandenburgicum vocet REUSNERUS *in auctar. geneal.* respiciens ad nostri temporis statum, quo hic titulus invaluit, qui Rudolphi tempore nondum notus fuerat; nam Albertus Ursus, ex Elica M. Ducis Saxoniæ filia natus, primus Marchio Brandenburgicus dicitur a PAUL. LANG. *in chron. Citicensi fol. 785.* Itaque scriptores & diplomata superioris temporis Rudolphum & Henricum absolute Marchiones vocant, ut diploma *Phil. de a. 1186.* apud LINDEBR. & in *præf. chron. Oldenb.* lit. D. fol. ult. URSPERG. *fol. 256.* ABBAS vero STADENS. Rudolphum indifferenter modo comitem modo Marchionem appellat; historia Comitum Palatinorum Saxoniæ Udonem seniorem etiam Marchionem de Alsleben denominat: quod qua occasione factum sit MEIBOMIUS non assequitur. An electoratus dignitatem sustinuerit Rudolphus, in ambiguo positum est per ea, quæ habet SIM. SCHARD. *de instit. elect. c. 7.* Interim Soltquellæ in Marchia domicilium suum habuisse ipsum, ex eo apparet, quod Rudolphus hic ad judicium Bremense veniens Fridericum comitem cum valida manu abductum Soltquedelæ incarceraverit, ABB. STAD. *d. l.* CRANTZ. *lib. 3. Vand. 17.* Eo tempore a. 1112. Rudolphus hic Marchio, una cum aliis Saxoniæ principibus Adalberti Moguntini suggestionibus incitatus, Henrico V. Cæsari se opposuit. SPANGENB. *in chron. Saxon. c. 213. cent. Magdeb. 12. c. 16.* ENZEL. *in chron. vet. March.* ac sequenti anno etiam Lusatios contra Cæsarem commovit, SPANGENB. *d. c. 213. in fin.* Et forte contigit, quod Henrico nepote ex fratre extincto a. 1123. non sine veneni suspicione Fridericus V. dictus, comitatum Stadensem receperit, ABB. STADENS. *fol. 155.*, *chron. Pegaviens.* ad *dict. ann.* Rudolphus patruus Marchiam, quam jam ante tutorio nomine administrabat, retinuerit PETR. BERT. *lib. 2. comm. rer. Germ. 12.* Obiit Rudolphus a. 1124. ABB. STAD. *d. l.* Hic ergo Rudolphus a. MCXI. pro Marchione Brandenburgico se gessit Udone fratre quinquennio ante defuncto. Neutrum autem ex his, si adhibiti fuissent prætenso privilegio Bremensi assensurum fuisse, ex iis constare potest, quæ de comitatu Stadensi ac Lesmonæ & ad eum pertinentibus juribus in flumine Visurgi superius diximus. Erat enim Udonis Marchionis comitatus per episcopatum Bremensem ita diffusus, ut tertiam ejus partem non minus, quam Magni Ducis ducatus occuparet, AD. BREMENS. *c. 166. hist. archiep. Brem. in Adelb.* nemo autem in incommodis suis & ubi de suo præjudicio agitur, consentire præsumitur, sed multo magis contradicere ac protestari, neque renunciatio vel remissio juris sui, cum sit donationis instar, præsumitur, nisi probetur. MENOCH. *de ps. lib. 3. ps. 45. n. 11.* CÆPHAL. *cons. 25. n. 50. lib. 1.* DECIAN. *cons. 43. n. 34.* & seqq. Unde passim legimus hujusmodi renunciationes principum, quorum intererat, bullis privilegiorum insertas; in quem usum etiam quandoque chirothecæ adhibitæ in signum plenariæ traditionis ac renunciationis; ut sunt exempla etiam in ipsis diplomatibus Bremensibus *Lindenbrogii*; veluti Liemari archiepiscopi de a. 1088. ubi Gerhardus de Stumpenhausen præsens laudantibus fratribus ejus Gerberto & Adolpho super reliquias cum chirotheca, sicut mos est, liberis Saxonibus tradidit curtim &c. Ipse Henricus V. in privilegio Spirensi de a. MCXI. testatur, se libertatem civibus Brunone episcopo in pulpito adstante & concedente dedisse, & Fridericus Imp. in confirmatione Henrici V. privilegii civibus Wormatiensibus concessi dicit, se illud roborare cum beneplacito Burchardi Wormatiensis Vice-Domini aliorumque, qui jus & potestatem in cives habere videbantur, LEHM. *lib. 4.* CHRON. SPIR. 22. ut mirum si in hoc privilegio Henricus Imp. id omis-

Udonis II. obitus.

Alberti Stadensis locus explicatur.

Elimari Oldenburgici de comitatu Stadensi disputatio.

Rudolphus Udonis frater.

Titulus Marchionum Brandenburgicor.

Rudolphus Cæsari rebellis.

Rudolphi obitus.

Chirothecæ traditionibus adhibitæ.

Privilegium Spirense, consensu episcoporum concessum.

omissurus fuisset: nisi incauto autori in memoriam non venisse dicamus, ne quid de simultatibus ac bellis id quoque addamus quæ sicuti ambo Udones cum Henrico IV., ita Rudolphus cum Henrico V. exercuerunt, ut vel inde quoque verisimile non sit, in conspectum Cæsaris proditurum fuisse Rudolphum, multo minus pro teste adhibitum.

Rudolphus cum fratre Cæsarum adversarius.

SECTIO LX.

De Magno Duce Saxoniæ quinquennio ante defuncto.

(*Magnus Dux Saxoniæ*) Quintus hic constituitur testis non minus quam priores vita functus; obiit enim eodem anno, quo Udo secundus Marchio, & quidem ætate gravis post conventionem cum Friderico archiepiscopo initam A. C. 1106. *Abb. Stad. fol. 150.* CRANZ. *lib. 5. Sax. 25. & lib. 6. Metrop. 5. chron. Slav. incerti autoris a* LINDEBR. *ed. fol. 283.* JO. TRITHEM. *in chron. Hirsaviens. chron. Stederburgens.* PHIL. MELANCHTH. *lib. 4. chron.* DODECH. ABB. *in app. ad* MAR. SCOT. PAUL. LANG. *in chron. Citicens.* URSPERG. *ad a. 1106.* HIERON. HENNINGES & ELIAS REUSNER. *in geneal. princ.* NICOL. SERAR. *lib. 5. rer. Mogunt. p. 796.* SPANGENB. *in chron. Sax. fol. 344. & in chron. Schawenb. fol. 16. c. 5.* DRESSER. *in millenar.* REINECC. *in append. ad Helmold.* PETR. BERT. *l. 2. rer. Germ. n. chron. Erfurd. MSCt.* LUCAS LOSS. *in Lunenb. Sax. fol. 30. &c.* qui cum heredem masculum non haberet, Cæsar Henricus V. ducatum ejus dedit Ludero comiti in Supplinburg (qui postea Lotharius, Imp factus est) qui etiam possessionem nactus quiete possedit, HELMOLD. *lib. 1. chron. Slav. 36.* ABB. STADENS. & PAUL LANG. *d. l.* SPANGENB. *in chron. Schawenb. d. c. 5.* Quod tali carmine expressit LOSSIUS dicto loco:

Magnus sine mascula prole defunctus.

Deficit in Magno Billingi mascula proles
Saxoniæque cadit stirpsque decusque Ducum. *Anno 1106.*
Stirps tamen in natis hæsit materna duabus
Wulfhilde atque Eicke nomina clara vigent.
Occupat hinc Phoebes Lotharius ille ducatum, *A. 1126.*
Supplenburg clarus qui comes ante fuit.

Posterior marginalis æra a LOSSIO apposita electionem Cæsaream respicit, non vero Ducatus Saxonici apprehensionem ejusque investituram, quippe quam statim post Magni mortem consecutus est: id enim probat indubitatum argumentum, quod adhuc hodie Hamburgi in templo cathedrali visitur, quo id refert SPANGENB. *in chron. Schawenb l. 1. c. 5.* A. 1106. inclytus & magnificus dominus Luderus Dux Saxoniæ & Westphaliæ (qui postea Romæ Imperator factus & Lotharius appellatus) contulit & dedit comitatum Holsatiæ &c. Quo ipso Magnum antecessorem ipsius jam defunctum fuisse oportet, quia viventis nulla est successio: hic Luderus, cum primum Friderico comiti & administratori Stadensi adversatus fuisset & contra eum Fridericum archiepiscopum Bremensem concitasset, postea tamen donis placatus ejusdem patrocinium contra Rudolphum Marchionem Stadensem suscepit eique fini castrum Verdæ ædificavit an. 1112. ABB. STAD. *fol. 154. hist. archiep. Bremens.* Quomodo autem Luderus Dux hoc eodem anno cum Rudolpho Marchione, Reinhardo Halberstadiensi, & aliis Saxoniæ principibus contra Henricum V. conspiraverit, & tandem bello conflixerit, superius aliquoties tetigimus vid CRANZ. *lib. 5. Sax. 34. Abb. Stad. fol. 154.* HELMOLD. *lib. 1. chron. Slav. 60.* SPANGENB. *in chron. Sax. c. 213.* PHILIPP. MELANCHTH. *l. 4. chron.* Hic ergo Luderus Dux, diplomati testis addendus erat, si autor Saxoniæ Ducem interesse noluisset, qui tamen huic Bremensium privilegio nullatenus assensisset, sed multo magis contradixisset; non ea tantum ratione, quam in Udone marchione paulo ante declaravimus, sed & propterea, quod advocatiam urbis Bremensis, etiam ante acceptum Saxoniæ ducatum possideret concessam sibi pro redemtione Liemari archiepiscopi an. 1088. ut Sect. XXXI. probatum; quod jus sive regale cum ipse in gladio & arcu suo (ut Henricus Leo loquitur) *in dipl. feud. episc. Suerinens. apud Lindebr.* & de eo HELMOLD. *lib. 1. chron. Slav. 88.*, obtinuisset, & non erat civibus Bremensibus judicium criminale, utpote potissimam advocatiæ partem ultro concessurus. In hoc ergo Magno pro teste assignato, solo quinquennio aberravit autor incuria non minus crassa, sed quæ ferula expiari potest.

Luderus Dux a Cæsare investitus.

Luderus Dux castrum Verda exstruit.

Luderus Dux cæsari adversarius.

Luderi testimonium ipsi contrarium.

SECTIO LXI.

De Guelpho Bavaro ambigui nominis.

(*Welpho Dux Bavariæ*) Sextus & ultimus testis sed propter ambiguitatem nominis, quia plures Welfi successive vixerunt ita dubius & incertus, ut investigari non facile possit, de quo autor senserit. Et sane, quum septem Guelphi ordine numerentur *in annal.* ATRAN. GEBUL. quas contraxit REINER. REINECC. *in origin. stirp. Brandenb. & Jo. Aventin.*, ex quibus priorem URSPERG. *fol. 274. omittit.* Verisimile est, ipsos vitandæ confusionis & ambiguitatis ergo certis notis, titulis, cognomentis aut saltem numeris sese distinxisse, quod non solum ab historicis illius temporis sed etiam in diplomatis ac literis principum observatum. Ita Ottones, Henrici, Friderici aliique Cæsares homonymi numeris se distinxerunt, & secundos, tertios, quartos, quintos se dixerunt. Ita subscriptio diplomatis Henricani Spirensibus dati hoc eod. a. MCXI. habet: regnante Henrico quinto Rege Rom., quod tamen autor noster non attendit. Ita Udo II. Marchio Stadens. Elimarus II. comes Oldenburgic. in litteris ac diplomatibus passim juniores dicuntur ad differentiam parentum seniorum. Quis ergo crederet, utile hoc discrimen tot cognomines Guelphos neglexisse. Horum e familia Marchionum Estensium descendentium genealogiam exactissime deduxit REINECC. *in append. ad Helmold.* inter quos Guelphus IV. (*Aventinus V.* facit) cognomento robustus, cum ab Henrico IV. in Ducem Bojoariæ pro Ottone Duce Saxoniæ electus esset an. 1071. eique una cum aliis principibus se opposuisset, ab eoque degradatus & postea restitutus esset in Palæstinam profectus obiit in Cypro ann. 1101. URSP. & NAUCLER. AVENTIN *lib. 6.* MUNST. *lib. 3. cosmograph. chron. Hierosolymit. lib. 8. c. 43. chron. Aug. ad an. 1101.* REUSNER. & REINECC. *in geneal. Duc. Bavar.* Hujus filius fuit Guelphus V.

Guelphus Dux Bavariæ Sextus testis.

Genealogia Guelphorum.

Guelph. IV. Henrico IV. sese opponit.

Guelphus V. patris successor.

phus V. quem Aventinus II. vocat respectu patris primi Ducis Bojoariæ: historici pinguem sive crassum denominant. Hic una cum aliis principibus Hinricum V. filium contra patrem concitavit eumque ad imperium promovit, AVENTIN. *lib. 5.* SPANGENB. *in chron. Sax. c. 209.* eoque nomine legationem ad Pontificem in Italiam una cum aliis suscepit, CRANZ. *lib. 5. Sax. chron. Erfurd. MSCt.* a quo tempore semper Henrici V. partes, ipsumque in Italiam secutus actioni Cæsaris cum Paschali Papa a. MCXI. interfuit, AVENTIN. *d. l.* sed & in bello Saxonico *a. 1115.* ab Henrici V. partibus stetit, OTTO FRISING. *lib. 1. de reb. gest. Frid. 6.* non multo post tamen & ipse a Cæsare recessit; qua occasione dubium, inquit Frisingensis, fortasse, quod ducatum Saxoniæ a Magno Duce relictum, Henrico Duci Bojoariæ Magni genero & Guelphi hujus fratri non concessisset Cæsar. Obiit a. 1119. in Bojoaria AVENT. REUSNER. REINECC. *in d. append.* ut exinde corrigendum sit mendum chronologicum in ejusdem originibus stirpis Brandenburgicæ ac pro a. 1109. ponendus. CRANZ. *lib. 5. Sax. 35.* monasticam vitam ipsum ingressum dicit. Hic ergo Guelphus solus ex omnibus hujus diplomatis testibus eo tempore in vivis ac Cæsari conjunctus fuit; quod non autoris solertia, sed fortuna contigit propter plurimorum principum homonymiam, per quam aberrare non potuit. Sed videamus, ne & hic subsint aliæ causæ, ex quibus falsitatem testimonii Guelphici deprehendere possumus; prima est, absentia Guelphi, quippe qui Imperatoris in Italia individuus comes & fidelis consiliarius eo tempore in Germaniam nondum reversus fuit, ut sequenti sectione probabimus, altera est titulus Guelpho insolitus, quippe qui plerumque absolute Dux, ut in *chron. August. ad a. 1101.*, ab aliis Dux Noricor., ut ab OTTONE FRISING. *d. loc.* item Dux Noricus ab URSPERG. *fol. 248.*, imo Dux & Marchio simul, Estensis scilicet, appellatus fuit: tertia est, Bavariæ ignota appellatio, de qua audiamus JO. AVENTINUM, quem doctissimus *Goldastus* meritissime Livium Germanicum nominat, quasi stomachabundum in hæc verba erumpentem *lib. 1. annal. Bojor. in princ.* Bavarus nomen barbarum, obscoenum, inauspicatum, semidocto vulgo protritum, recens est, nuper ab imperitis usurpari coeptum nec latinum nec germanicum, nusquam apud veteres, nusquam in vetustis exemplaribus, monumentis, litteris, epistolis, legibus, tabulis, diplomatibus invenio, quæ omnia, lingua Romana scripta sunt; demum enim post Friderici II. fata Germania suum sermonem depingere literis latinis didicit: semper *Bojoarios* aliquando & *Bojarios* scriptum lego, & paulo post: *Bavarus*, post *Imp.* Frider. II. demum natus est. Hactenus AVENTINUS. A quo non discedit CRANZ. *lib. 2. Sax. 5.* sic inquiens: *Bojarios* dixere veteres, non *Bavaros*. Provocamus ad privilegia Hamburgensia, a LINDENBROGIO edita, in quibus pag. 187. de Henrico Leone agens, eum *Bojoariæ* & Saxoniæ Ducem vocat; quomodo ipse se quoque indigitat in litteris fundatoriis episcopatus Suerinens. pag. 189.

Cum Cæsare in Italiam profectus.

A Cæsare recedit.

Guelphi obitus.

Guelphus Cæsaris comes in Italiam.

Boji, Bojarii, Bojoarii.

Quarta falsitatis nota est insignis præposteratio ordinis, qua Guelphus hic princeps longe potentissimus non solum Bojorum, Ambronum, & Lycantiorum Dux, sed & Marchio Veronensis in Italia, ut eum ex imperii amplitudine indigitat REUSNER. *in genealog.* cæteris secularibus testibus postpositus, cum præponi debuisset. Nota est enim comitis Palatini ad Rhenum prærogativa, cui primum locum ceteri Electores seculares deferunt, MARQUARD. FREHER. *lib. 1. de orig. Palat. 15. art. 57. lib. 3. Land-Recht. aur. bull. Carol. IV.*; qua assertione tamen nemini præjudicium fieri volumus *vid.* KNICHIUS *de jur. Sax. non provoc.* Jam autem electoratum & palatinatum stirps Guelphica possedit, teste CLUT. *in syllog. rer. quotid. thes. 24. lit. L.* & comites Palatinos Rheni de vera & legitima Bojoariæ Ducum stirpe descendere concedit FREHER. *d. l. 1. de orig. Palat. 12. & clarius in notis ad* PETR. *de* ANDLO *lib. 1. c. 16.* explicans *art. 53. lib. 3. Land-Recht*, primum comitem Palatinum per Ducem Bavariæ interpretatur. Quamvis enim illa *conjunctio Palatinatus cum Ducatu Bavariæ* per Ottonem a Wittelsbach. a. 1215. primum contigerit, REINECC. *in d. app.* FREHER. *d. l. 1. c. 12.* tamen eam antea domui Bavaricæ competiisse probat CHRISTOPH. GEWOLD. *in anti-thes. contr.* FREHER. quam disputationem in medio relinquit CLUTEN. *in syllog. d. thes. 24. lit. L.* Id certum est, etiam ante Duces Bavariæ quandoque Palatinos fuisse, ac electioni Cæsarum adhibitos SCHARD. *de elect. c. 7.* atque hoc ipse Freherus in epist. respons. concedit, ibi: *habuit & Bojaorum suos palatinatus &c.* Inde tituli & inscriptiones sepulchrorum: Robertus Bavariæ Dux, comes Rheni Palatinus &c. Ex quibus satis superque apparet, Duces Bojoariæ Palatinis dignitate anteriores fuisse, ut in iis merito obtinere debeat regula: Si vinco vincentem te, multo magis vinco te. Utut ergo Henrici V. tempore alius forte fuerit comes Palatinus Rheni, tamen Guelphus hic Dux Bavariæ dignitate sua privari non debuit, sed reliquis principibus & præsertim Marchioni Brandenburgico anteponi: ita in conventione Henrici Cæsaris cum Calixto Papa an. 1122. inita, Henricus Dux Bojoariæ cognomento Catulus frater & heres Guelphi V. AVENTIN. *lib. 6. annal. Bojor.* REINECC. *in d. Geneal.* inter seculares primus recensetur ac Friderico Duci Sueviæ, Brunoni Duci Saxoniæ, Gothfrido Palatino Rheni aliisque præfertur; exstat apud GOLDAST. *tom. un. const. fol. 258.* De hoc Henrico loquuntur versus LUCÆ LOSSII *in Lunenb. Sax. fol. 30.*

Comitis Palatini prærogativa.

Guelphi etiam Palatini fuerunt.

Palatini e stirpe Ducum Bavariæ oriundi.

Conjunctio Ducatus Bavariæ & Palatinatus.

Duces Bavariæ quandoque Electores.

Cujus Wulfhildis patris fuit uxor honesta,
Qui simili Henricus nomine Guelpho fuit.

Quæ omnia in hoc teste collocando susque deque habita arguunt, autorem prætensi diplomatis antiquitatis ignarum ad sua tempora respexisse neque decorum aulicum scivisse, quem verisimiliter Saxonem fuisse prodit Welponis vox vernaculam linguam & dialectum Saxonicam redolens. Observare enim licet, scriptores in pronunciatione hujus vocis plerumque ad suum idioma se contemperare: ita Germani superiores Welfum, Bavari Welphum, Itali Guelphum, Saxo-

Saxones Welpum pronunciant; & notum est etymon a catulo, qui lingua Teutonica *Wolf* dicitur, test. SPIGEL. *ad Günth. lib. 9.* Occasionem recitat REINECC. *in orig. stirp. Brandenb.* Ab hac Saxonica voce *Welp* ortus Welpo, quo hic autor utitur, cum AD. BREMENSI, Rex Ducatum Ottonis *Welpo* dedit. *in hist. ecclesiast. c. 185.*

SECTIO LXII.

Recapitulatio de Senario testium numero.

Senarii numeri religio.

Sicuti in senario numero religio quædam esse creditur, *de qua art. 3. lib. 1. Land-Recht*; ita in testibus hisce expressis ex consilio autoris procul dubio mysterium aliquod latet. Voluit enim is ad numerum & differentiam sex Electorum alludere, eorumque testimonia majoris fidei ergo diplomati suo subjicere; ideo tres ecclesiasticos & pro Trevirensi episcopum Halberstadensem, quod fortasse Trevirensis nullus, sibi in historiis occurreret, & tres seculares principes elegit, ut mirum sit, cur Electorum titulum ipsis denegaverit; nisi quia illum recentiorem esse credidit.

Comites & Vasalli privilegio Spirensi adhibiti.

(*Et alii quamplures*) Nimirum præstabat tacuisse, quam plures nominando vel inscitiam suam prodere vel falsitate se implicare. Non solebant autem Impp. veteres, comites, nobiles, vasallos aliosque inferiores ministeriales, qui forte curiæ intererant, negligere, sed eorum quoque nomina bullis inserere, ita in Spirensi privilegio de hoc eod. an. MCXI nominantur comites Gothfridus de Calwe, Fridericus Zollra, Hartmannus de Dilinga, Berengarius de Sultzbach, Gerhardus de Gollra: imo qui minoris erant ordinis vel ministeriales vel cives absolute sine additione cognominis vel dignitatis recensentur; ita Henricus, Dudo, Stephanus, Gerungus, Waltherus &c. qui procul dubio ministeriales in aula Cæsaris fuerunt. Plura exempla in diplomatibus ecclesiæ Hamburg. a LINDEBROG. collectis, quæ præ cæteris popularem hunc suum rubore suffundunt.

SECTIO LXIII.

Henricus V. tempore dati diplomatis Moguntiæ absens.

Aera Diplomat. Henricani examinatur.

(*Datum & actum Moguntiæ 2. Idus Maji*) Latinitatis studiosus pridie idus Maji dixisset, qui est 14. dies ejus mensis. Videamus autem & ex historiis rerumque circumstantiis supputemus, an hoc ipso die Imperator Henricus V. Moguntiæ fuerit vel esse potuerit? Neque enim aliter hæc negativa facti quam per circumstantias temporis & loci probari potest. Principio constat, Henricum V. Cæsarem post confectum bellum in Polonia & Bohemia in Italiam ad suscipiendam coronam a Papa more majorum iter instituisse sub finem anni MCX. ita, ut etiam festum natalitium Christi Florentiæ celebraverit, URSPERG. in *chron. fol. 254. cent. Magdeb. 12. c. 16. chron.* WIPRECHT., SPANGENB. *in chron. Sax. c. 212.* Unde factum est, quod scriptorum alii iter hoc in Italiam a. 1110. (elapso scilicet) alii rectius sequenti ac ineunti IIII. adscripserint, DODECH. *app. ad Mar. Scot.* Cum vero contentio inter Paschalem Papam & Henricum V. Cæsarem super investituris episcoporum orta esset, ea certis conditionibus sopita Imperator Romam ingressus & in templo coronam imperialem suscepturus a civibus invasus a Papa & Episcopis voto suo excidit. Quapropter iratus civibus cæsis, Paschalem Papam custodiæ mancipatum extra urbem secum ad primam mansionem abduxit: ibi Pontifex monitu & interventu quorundam postulatis Cæsaris ita annuit, quod pactis prioribus de investituris episcoporum salvis Imperatorem coronare vellet; quod & factum est. Hanc historiam late descripserunt SIGEBERT. GEMBLACENS. ABB. URSPERG., STAD., DODECH. GODOFRID. VITERB. *part. 17.* OTTO FRISING. *lib. 7. hist. 14.* HELMOLD. *lib. 1. chron. Slav. 40.* JOACH. VADIAN. *lib. 1. de antiq. tot. colleg. & Monast. Germ., Cent. Magdeb. 12. c. 8. tit. sub Henr. V.* LEHMANN *in chron. Spirens. lib. c. 42.* SPANGENB. *in chron. Saxon. c. 213.* CRANZ. *lib. 5. Sax. 33.* HULD. MUT. *lib. 16. rer. germ.* CÆS. BARON. *in annalib. ecclesiast.* CAROL. SIGON. *lib. 10. de regno Ital., chron. Erfurd. MSCt.* PHIL. MELANCHTH. *lib. 4. Chron. & alii plures.* Diplomata transactionum exstant apud GOLDAST. *tom. 1. constitut.* DODECH. ABB. *in d. append.* NICOL. SERAR. *lib. 5. rer. Moguntinens. & alios.* Quamvis vero non in anno; (qui certus est, nempe M.CXI.) sed in die modica quædam discrepantia inter scriptores hosce esse videatur, tamen ea facile removeri potest, si attendatur, Cæsarem bis Romam urbem ingressum; prima vice actus coronationis Cæsareæ interruptus est ac Papa tumultu orto abductus XII. die Februar. SPANGENB. *d. l. c. 213*; ubi scribit: Pontificem decem septimanis in custodia detentum, procul dubio ex URSPERG.; ex quo etiam CRANZ. *d. c. 33.* prima Quadragesimæ Dominica id factum dicit, ac Cæsarem post tumultum etiam dies aliquot in urbe commoratum. Detinetur Papa in exercitu Cæsaris ab idibus Februar. usque ad 5. Calend. Maji, inquiunt *centur. Magdeb. d. c. 8.* Altera vice confirmatis utrinque pactis, quorum datum refert SIEGEBERTUS, nempe Idibus Aprilis, qui est 13. dies indictione IVta, peracta est coronatio sive ipso die paschatis (ut vult SIEGEBERTUS) sive post pascha (ut DODECHINUS) sive post octavas paschatis (ut URSPERGENSIS) prope his accedit CÆSAR BARONIUS, ubi scribit 2da Idus Aprilis (qui est XII. dies) id factum, *in annal. eccles. ad a. MCXI. in Onuphr. Panvin. lib. 3. de Rom. princ.* Prope accedit *Wilhelmus Malmesburiensis* Anglus, ubi scribit, id factum esse IV. Id. April. (qui est X. dies, Dominica Quasimodogeniti *lib. 5. de gest. Anglor.* Hæc unius & alterius diei discrepantia orta ex eo, quod negotium hoc non uno die completum fuit, modica est, ut dictum, cum certum sit, hoc anno MCXI. & quidem mense Aprili id Romæ contigisse, & alioquin in minori summa omnes conveniunt. Quod si his addantur dies, quibus Romæ post coronationem peractam substitit Cæsar, & rebus Imperii ordinandis impendit, fortasse ante lapsum Aprilis ne urbe quidem excessit. Deinde attestatur Urspergensis, quod peractis aliquot diebus post coronationem Cæsaream Paschalis Papa una cum multis Cardinalibus & episcopis per Longobardiam usque ad Alpes Cæsarem

Cæsaris profectio in Italiam.

Contentio Cæsaris & Papæ.

Paschalis Papa captus & abductus.

Coronatio Henrici Imperatoris.

Coronatio Cæsaris interrupta.

Actus coronationis peractus.

Cæsaris BARONII & aliorum testimonia.

Cæsar post coronationem aliquandiu Romæ commoratus.

rem deduxerit. Sequitur LEHMANN. *in* CHRON. SPIR. *d. lib. 5. c. 42.* Notum autem est, quam tardus sit principum progressus ad pompam institutus ubi maturato opus non est, quippe qui ut plurimum magna stipante caterva (ut poeta canit) tandem, i. e. lente & cunctanter, procedunt; quod maxime verum est in processione Papæ cum cardinalibus, qui non possunt nisi per modicum iter apportari, nec per se equitare, dicente THEODORICO *a* NIEM *episcop. Verdens. lib. 7. de Schism. 39.* Accedit hisce HULDERICUS MUTIUS *in chron. Germ. lib. 16.* ubi attestatur, quod Cæsar prius res omnes tam in urbe Roma, quam in aliis Italiæ civitatibus ante abitum suum disposuerit: accepta corona, inquit, & apostolica benedictione Romæ omnia composuit, ea ratione, qua potissimum fides & pax perdurare posset, omnia juramentis interpositis roboravit; ubi Romæ imperium satis pro virili confirmavit, ad reliquas Latii civitates cum copiis profectus similibus rationibus, quibus Romæ omnia disposuit, cogebaturque Italia tota jurare. Præ cæteris itinerum & actionum harum specialibus, diarium nobis suppeditat CAROL. SIGONIUS *rer. Italicar.* scriptor. diligentissimus: is enim sic scribit *lib. 10. de regn. Italiæ:* His actis postero die idibus Aprilis Pontifex Paschalis cum Henrico Imp. urbem Leoninam intravit, & portis, ne quis civium interveniret, obseratis, in æde S. Petri ante confessionem ipsum corona Imperatoria redimivit atque Augustum consecravit. Et paulo post: Hac re elatus Henricus, tota metu trepidante Italia, recessit in Lombardiam, Bononiam agmine pacato ingressus ad frenandos hominum impetus & continendum in fide populum civibus præ circumsedentis exercitus pavore mussantibus arcem construxit eamque præsidio firmavit. Parmam inde XVII. Calend. Junii prodiit; inde, postquam per triduum Bibianelli cum Mathilde comite fuit, in Germaniam abiit. Hæc ille scriptor prudens & curiosus. Cum quo verbotenus consentit JO. BAPTISTA PIGNA Italus, in *historia principum Estensium* ad ann. MCXI. ut ex hoc sua hausisse *Sigonius* videatur. Meminit CHERUBINUS GIRARDACCIUS Bononiensis, in hist. Bononiensi. Ex quibus liquet, Henricum V. Cæsarem 16. die Maji fuisse Parmæ in Italia, sequentes tres dies, nempe 17. 18. & 19. Maji, egisse Bibianelli apud Mathilden comitem iisque rebus omnibus perfectis, quæ moram aliquam requirebant, demum in Germaniam sese recepisse; quod ipsum quoque per volatum avium trans Alpes fieri non poterat. Nota est vulgaris & legitima diæta itinerantium, cui viginti milliaria Italica tribuuntur, *in l. 1. ff. si quis caution. in jud. sisti ff. qui autem* & ibi *Dd. l. de excus.* FELIN. *in C. cum olim col. 2. ext. de rescr. & in C. nonnulli column. 23. eod.* quæ faciunt quatuor milliaria Germanica juxta MYNSING. *Cons. 54. n. 8.* vel, si pinguius numeres, quinque; juxta JOH. GOEDEL. *ad l. 3. n. 9. ff. de V. S.* quam tamen Impp. ut plurimum, nisi necessitas expeditionem urgeat, ita decurtant, ut quandoquee ex una diæta duas faciant. Ita de Viterbio quæ urbs uno die a Roma attingi potest GUNTHER. *lib. 3. in Ligur.*

Principum progressus tardus.

Ordinatio imperii in Italia.

Caroli Sigonii testimonium.

Cæsar mense Majo in Italia fuit.

Scriptorum Italicorum consensus.

Legitima diæta itinerantium.

-- -- -- -- Viterbum
Attigit excelsa non longius urbe remotum,
Quam quantum biduo tardus solet ire viator.

Viterbii distantia ab urbe Roma.

Quod si ergo juxta hanc dimensionem & Antonini Cæsaris itinerarium calculus ponatur, quando Imperator Moguntiam attigisse putabitur? De Constantio Cæsare quem eo anno Mediolani sedisse colligitur ex dato *l. 2. C. de episcop. & Cler. l. 1. de pag. scripsit* AMMIAN. MARCELL. *lib. 16. hist. in fin.* quod fuerit ab Argentorato quadragesima mansione disparatus, a qua urbe adhuc 4. vel 5. mansiones remotum esse Moguntiacum ex computo Antonini palam est, quas septem hebdomadum diætas quomodo intra mensis spatium absolvisset Imperator non festinans, sed lente procedens, nobis id persvadebitur? cum Fridericus Imp. ab Augustensi civitate circa principium mensis Octobris solvens ac festinans Roncaliæ super Padum nonnisi mense Novembr. confederit. OTTO FRISINGENS. *l. 2. de reb. gest. Frid. 2. n. 12.* Ceterum certum est & rationi conveniens, Imperatorem Henricum V. a reditu ex Italia primum Spiram declinasse, atque ibi corpus patris a Leodio ad se transportatum, sepulturæ demandasse, quod his verbis attestatur SPANGENB. *Da dieses nun also in* Italien *verrichtet, zog Keyser Heinrich wieder in Teutschland, kam gen Speyer, dahin ließ er seines Vatern Cörper von Luttich bringen, und daselbst ehrlich zur Erden bestatten* in *chron. Sax. c. 212. it. Cent. Magdeb. cap. 12. c. 16.* His peractis Romani Augustum honesto comitatu ad Alpes usque deducunt, qui in Germaniam reversus Spiræ regio cultu patris funus curavit. adde CAROL. SIGON. & JO. BAPTIST. PIGNAN. *d. l.* atque hoc in transactione cum Paschali Papa inita inter alia quoque obtinuerat Cæsar, ut sibi liceret corpus patris hactenus propter excommunicationem insepulti terræ demandare, CÆSAR BARON. *in annal. eccles. &* URSPERG. *ad a. MCXI. chron. Erfurd. MSCt.* GOTHOFR. VITERB. *part. 17. in Henr. IV.* SIGON. *d. l. 10.* EISENGRIN. & LEHMANN *lib. 5. chron. Spiren. 43.* a quibus etiam recensentur principes qui exsequiis Henrici IV. interfuerunt, nempe Fridericus archiepiscopus Coloniensis, Bruno Archiepiscopus Trevirensis, Bruno Spirensis, & alii. Atque has exsequias mense Augusto celebratas attestatur URSPERG *d. l. annal. Trevir. ad a. MCXI.* FRANC. *de* ROSSER *in Stemmat. Lotharii & Burg. Ducum pag. 232.* Ob hanc causam Cæsar Henricus V. hoc ipso tempore nempe 19. Calend. Septembr. (qui est 14. dies Augusti) indictione quarta anno Dominicæ incarnationis MCXI. civibus Spirensibus privilegium concessit, ut sæpius dictum ex LEHMANNO *lib. 4. chronic. Spiren. 22.* Neque enim rationi congruum est, quod Imperator ex Italia per Alpes veniens prius Moguntiam quam Spiram, prius remotiorem quam propiorem locum attigerit; sed hoc potius præsumendum est, quod Spiræ in transitu omnium primo patris exsequias, quas a Paschali Papa impetraverat, celebrare & postea in ulteriorem Germaniam concedere voluerit: quo concesso temporum, mensium & dierum ratio probe sibi constat.

Itinerarium Antonini.

Cæsar ex Italia primum Spiram delatus.

Principes Henrici IV. exsequias celebrantes.

Dies sepulturæ.

Denique

Paschalis Papa pactum revocat.

Denique & hoc testantur supra citati historici, Paschalem Papam, Romæ concilio coacto privilegium de investituris episcoporum Cæsari datum statim revocasse, cum is vix in Germaniam pervenisset ABB. URSPERG. & STAD. ad ann. MCXI. FUNCC. *in comm. ad chron.* HELMOLD. *lib. 1. chron. Slav. 41.* CRANZ. *lib. 5. Sax. 33.* ubi sic scribit: Hoc certum; vix Germaniam tetigit Imperator, cum evocato concilio omnes patres non privilegium sed pravilegium appellarunt. Eadem verba repetunt MUTIUS *d. lib. 16.* PHILIPP. *lib. 4. chron.* hoc autem dici non posset, si Imperator 2. Idus Maji Moguntiæ jam fuisset, cum illud concilium Lateranum Romæ celebratum sit, a. 1112. XV. Calend. April. juxta URSPERG. sive 18. die Martii juxta SPANGENB. *d. c. 213.* Itaque ex omnibus hisce firmissime concluditur eo die XIV. nimirum mensis Maji Henricum V. Cæsarem Moguntiæ non fuisse, nec per rerum naturam esse potuisse, cum in Italia adhuc commoratus fuerit. Deceptus est autem bonus autor ex eo, quod comitia quædam ab hoc Imperatore Moguntiæ celebrata esse legerat, sed annum & diem imprudens non observavit; unde etiam fieri potuit, quod Ruthardum archiepiscopum Moguntinum inter testes numeraverit, quippe qui tunc adhuc in vivis fuit; celebratus est enim aliquis conventus principum Moguntiæ a. 1108. circa festum Paschatos super eadem quæstione de investituris episcoporum *cent. Magdeb. 12. c. 16.* CRANZ. *lib. 5. Sax. 30.* cum Papa vitata Germania in Galliam secederet, atque hic concilium Tricessinum celebraret, URSPERG *d. l. fol. 252.* contra cujus decreta Cæsar scriptum edidit, quod exstat apud GOLDAST. *tom. um. constit. fol. 251.* Et quamvis hoc ipso anno *MCXI.* curia quoque Moguntiæ celebrata sit, in qua Adalbertus archiepiscopus Moguntinus regalia ab Imperatore suscepit, ut dictum Sect. 57. tamen id post exsequias Henrici patris Spiræ habitas demum factum esse disertis verbis attestatur URSPERG. *d. fol. 255.* & post eum SIGON. *d. l. 10.* quemque ille secutus videtur JO. BAPTIST. PIGN. *in hist. princip. Estens. ad ann. MCXI.* inde, (scilicet Parma) inquit, postquam per triduum Bibianelli cum Mathilde fuit, in Germaniam abiit, atque Augusto mense Spiræ episcopis ac principibus aliquot evocatis Patri tum demum sepulto, magna cerimonia ex permissione Pontificis parentavit; inde conventu Moguntiæ habito Adalbertum archiepiscopum designatum per annulum baculumque ut ante instituit. Hæc ille. Neque invenitur in historiis, quod Imperator *Moguntiam* redierit ante ann. 1115. quo illic *nuptias* celebravit *Abb. Ursperg. Stad. & alii:* quæ posteriores actiones, utut frequenter nihil ad institutum nostrum faciunt; sufficit XIV. die Maji Cæsarem Moguntiæ non fuisse. Et hoc est, quod volebamus.

Concilium Lateranum statim post Cæsaris abitum celebratur.

Occasio commissi erroris.

Conventus principum Moguntiæ celebratus.

Concilium Tricessinum in Gallia.

Nuptiæ Imperatoris Moguntiæ celebratæ.

SECTIO LXIV.

De subscriptione diplomatis omissa.

Ultimo in hoc quoque crassissime impingit autor, quod sub finem diplomatis nullam vel subscriptionis vel impressionis sigilli mentionem facit. Solemne enim fuit in regno Germanico Imperatoribus, Regibus & Principibus quam ecclesiasticis, inde usque a Caroli M. temporibus, donationum confirmationumque diplomata & tabulas vel propriæ manus subscriptione & sigilli appositione confirmare. Sexcenta exempla si opus foret proferri possent ex *Pistorio, Sigonio, Goldasto, Lindebrogio,* appendice *Henrici Meibomii* ad Widikindum hoc anno recusum aliisque monumentis; sed tribus contenti erimus iisque ab Henrico V. profectis. Is igitur apud WIGULEUM HUNDT in *metropoli Salisburgensi* diploma monachis S. Petrinis prope Ratisbonam A. MCXI. datum hoc modo claudit: Si quis autem hanc libertatem infringere tentaverit, duodecim libras argenti compositurus banno nostro subjacebit, medietatem cameræ nostræ & medietatem prædictæ ecclesiæ; quod ut verius credatur & ab omnibus observetur, *impressione sigilli* nostri jussimus insigniri. In diplomate confirmatorio *coenobii Reinhardsbornensis* a. MCXIII. fundati Imperator sub finem sic loquitur: Et ut prædictæ traditionis & libertatis status, & omnia prædicta statuta ea ratione, qua DEO & sanctis ejus destinata sunt, ab hac die & omni deinceps seculo in Christo rata & inconvulsa permaneant, hanc chartam testamentariam prædicti comitis Abbatisque rogatu inde scribi manuque propria corroborantes *sigilli nostri impressione* jussimus insigniri. Idem Imp. apud *Tritheim. in chron. Spanheim.* monasterii illius erectionem confirmans his utitur verbis: Ut tamen hæc charta perpetuo inconvulsa permaneat neque cujusdam temeritas labefactare præsumat, Imperiali autoritate cum banno nostro eam roboravimus manuque nostra notatam *sigilli nostri impressione* munivimus. Datum an. 1126. VI. Calend. Martii. Quæ vero hoc tempore fuit Imperatoris oscitantia, ut formulas tot seculis usitatas neque a se alibi neglectas in hoc diplomate non levis momenti sed avito aliorum juri vim & præjudicium facturo negligenter omitti atque hoc modo suspectum reddi pateretur? si vero non omisit, sed suo loco inseruit, incuria vero librarii quid omissum est, quomodo Cæsar Wilhelmus nobis persuadebit, Henricanum diploma diligenter lectum & auscultatum esse? addimus & hoc, quædam privilegia bulla aurea typario Imp. munita inveniri, ut Friderici II. apud LINDENBR. de an. 1232. KNICH. *fol. 109.* qua voce imago Imp. denotatur, ac potest testari Syndicus Segebergensis in dioecesi Coloniensi quod aliquando Henrici V. diploma ad instantiam Abbatis Segebergensis a se transsumtum in lato pargameno litteris medii digiti longitudinem fere æquantibus scriptum, & sigillo in capsula quadræ magnitudine rubræ & albæ ceræ impresso munitum deprehenderit. Quod si Imperatores diplomata propria manu non subscripserant, saltem Cancellarii ea recognoscebant: ita legitur in diplomatibus Henrici V. coenobio S. Maximini Trevirensium datis a. 1107. & seqq. Adalbertum Cancellarium ad vicem Domini Ruthardi archicancellarii ea recognovisse. Quæ omnia omissa ignorantiam hujus autoris juxta & fraudem produnt. Id cum satis superque deductum sit, non opus est huic examini

Diplomata Henricana sigillo munita.

Epilogus privilegii coenobii Reinhardsbornensis.

Forma Sigilli Henricani.

Cancellarii recognitio.

Conclusio de præmio autoris.

mini diutius immorari. Tantum subjiciemus, quod de maleferiatis quibusdam annalibus ludit Catullus:

Annales Volusi cacata charta
Scripta tardipedi DEO datura
Infelicibus ustulanda flammis.

Vel saltem quod Martialis:

Vel thuris piperisque sit cucullus.

Ipse autor, si non jocandi animo poeticum hoc figmentum aggressus est, dignus, cujus corium infelicibus ustuletur flagris, &, quod comicus ait, stilis totus usque ulmeis conscribatur, quasi in libro cum scribuntur calamo litteræ. Et tantum de falso diplomate Henricano. Sequuntur confirmationes, in quibus recensendis breviores erimus, eo, quod earum autoritas destructo fundamento sua sponte labascit.

SECTIO LXV.

Examen prætensæ confirmationis Wilhelmi Cæsaris.

Wilhelmus per discordiam electus.

(*Wilhelmus DEI gratia*) Quomodo Wilhelmus comes Hollandiæ vivo adhuc Imperatore Friderico II. ejusque filio Conrado, Rege jam constituto, per discordiam principum ad Imperium promotus sit, an. 1247. tradunt historici, neque opus est, hic ad longum recensere; tantum hoc in disceptationem vocari posset, an viventi Friderico Cæsari ejusque filio Regi Romanorum nondum per sententiam legitime deposito, (ut de Wenceslao postea dicemus) alius & tertius Imperator adjungi potuerit, quia alias Imperium monstro simile esset, si haberet duo summa capita; unde chronographorum plurimi Wilhelmi imperium ab an. 1254. demum inchoant. Ita FUNCCIUS *in comm. chronolog. ad hunc annum.* Regnavit hinc ab a. 1254. Wilhelmus solus duobus fere annis, sed nihil pro tanta dignitate fecit memorabile, *annal. Domin. Calmariens.* Rex Conradus Friderici Imp. filius obiit; Wilhelmus de Hollandia succedit; neque enim opus est hic illud JCtorum principium pluribus deducere, quod viventis nulla sit successio, imo M. Albertus Argentinensis nec ipsum nec Richardum Imperatoris titulo dignatur: Richardus & Wilhelmus, inquit, quia non duraverunt in regno, non fuisse censentur, & ambo caruerunt benedictione Imperiali; quibus præsuppositis privilegia a Wilhelmo irrogata non valerent, præsertim ante a. 1254. qualis & hæc quoque prætensa confirmatio est: nam si Conradi coætanei privilegia valent, sicuti aliquot inter privilegia ecclesiæ Mindensis apud *Pistorium* exstant; sequitur Wilhelmi privilegia eodem tempore data non valere, quia unius inclusio est alterius exclusio, & duo eodem tempore Augusti esse non potuerunt, quo argumento Lucius Papa Henrico VI. coronationem vivo patre adhuc denegavit, dicens: Non posse simul, duos Impp. regnare, nec filium Imperialibus insigniri, nisi ea pater prius deposuisset ARNOLD. LUBEC. *lib. 3. chron. Slav. 10. in fin.*

Initium Imperii Wilhelmi Cæsaris.

Wilhelmus ab aliis inter Cæsares non numeratur.

(*Ne noverca memoriæ*) Quia familiare est hoc prooemium Impp., potuit id facile aliunde exscribere author.

(*Pro parte dilectorum*) Eadem phrasis & conjunctio Proconsulum, consulum & civium Bremensium cum superiori in privilegio Henricano & simul in confirmatione Wenceslai; nisi quod illic in privilegio Henrici ut præsentes introducuntur Bremenses, hic per Legatum: non est autem stili neque pro autoritate, ut superiores inferiorum titulos sollicite distinguant, sed eos in genere tantum attingant sine pompa verborum. Ita idem Wilhelmus in privilegio Spirensibus dato a. 1255. breviter: cum dilecti & fideles nostri cives Spirenses nobis & Imperio servierint fructuose &c. LEHMANN. *lib. 5. chron. Spirens. 91.* Ecce, hic in genere cives nominantur, cum tamen Spirensis urbs non minus quam Bremensis suos habuerit Consules, Senatores & Magistratus, & quidem majoris autoritatis. Cur ergo Bremenses magis quam Spirenses honorasset Imperator?

Magistratus Spirensis.

(*Dilectus nobis Henricus Woltmann*) Imperator fidelis addidisset, non potest autem hic Proconsul nobis non suspectus esse, si forte fictum sit nomen; tum quia proconsulatus ista dignitas Bremæ nulla est, nisi improprie senatoriam intelligas, tum quia Woltmanni nomen inter illos quoque cives reperitur, qui an. IIII. expeditioni in terram sanctam interfuisse finguntur, an fortasse Woltmanni hi gentiles & agnati fuerunt, an inopia vocabulorum laboravit autor?

Woltmanni nomen suspectum.

(*Henricum Imperatorem*) Non additur numerus, quotus ex Henricis hic fuerit; non fit mentio Caroli M. aliorumque Imperatorum, qui itidem privilegia quædam civitati Bremensi concessisse dicuntur.

(*Coram nobis produxit*) Cur hoc tantum? cur non etiam produxit Caroli M. & aliorum Henrici V. prædecessorum? cur non etiam Friderici Barbarossæ? cujus meminit *Dilichius*; cur non hæc omnia simul inserta sunt huic confirmationi? an solum Henricanum diploma eo honore dignum nimirum, quia ficta omnia.

Priorum privilegiorum suppressio.

(*Lecto dicto privilegio*) Cur non etiam sigillo inspecto & agnito; tum enim procul dubio fraus inventa fuisset.

(*Ipsum privilegium*) Quatenus verum & genuinum, non si falsum & adulterinum; id enim ab ignorante & decepto Imperatore fieri non posse demonstrat MYNS. *dic. 2. resp. 19. n. 34.*

(*Et transumtum fieri*) Nimirum ne opus esset ipsum originale postea produci, sed prætextu corruptionis sive interitus inspectio denegari posset astute. Atqui hoc non sufficit: quantumcunque enim sit instrumentum authenticum, si tamen de ipso aliquid in dubium vocetur, ipsum originale exhibendum est, *gloss. in C. ut vet. dist. 9.* quod adeo obtinet, ut producenti prius incumbat probatio fidei, quam ei, qui, stricta instantia falsum arguere paratus est, MYNS. *d. resp. 19. n. 9.*

(*Supradictæ virtutes*) Quænam illæ? an illæ Henricano diplomati insertæ & bello sacro impensæ? Atqui eas Wilhelmus Imperator ignorabat neque in specie exprimere quisquam poterat.

(*Nos, attendentes*) Propter unius civis merita confirmantur privilegia totius civitatis.

(*Quæ nobis in annis*) Non ergo imperio; cujusmodi

cujusmodi tamen merita principaliter attenduntur & privilegiis inseruntur. Ita Wilhelmus in prædicto privilegio Spirensi: Cum Nobis & *imperio* serviunt fructuose: Scire autem cupimus, quænam sint illa grata & accepta servitia, quæ in Hollandia & alibi pluries Imperatori præstiterit prætensus hic proconsul? & quidem ante adeptum imperium, a. 1247. quo tempore Wilhelmum juvenem fuisse XX. annorum, constat ex *magno chron. Belg.* unde etiam a legato Pontificis, prius cingulo militari donatus est, cujus ritus exstat in *constitutionibus* GOLDASTI. an in bellis sunt præstita? atqui ea juvenis nulla gessit Wilhelmus, quippe qui sexennis Florentinum patrem amisit, & ab eo tempore usque ad pubertatis annos sub tutela patrui Ottonis episcopi Trajectensis, Hollandiæ gubernatoris, permansit; an forte famulus sive ministerialis Wilhelmi fuit, cum adhuc comes esset? atque reclamat dictio pluries, quæ non continuam servitutem, sed distinctos actus innuit, ut sic merita hæc allegata nullo modo verificari possint.

Wilhelmus juvenis in Imperatorem electus.

(*Et alia jura*) Atqui ea nec produxit, nec exhibuit Woltmannus: quomodo ergo ea non visa, non existentia ad solam relationem hujus nuncii confirmasset Imperator? cur non eorum integra diplomata huic quoque confirmationi inserta? cur non petitum, ut de his quoque transumtum fieret, cum propter altiorem antiquitatem multo magis interitus & fragilitas metuenda esset? Si generalis confirmatio in his sufficiebat, sicuti ita omnia prædecessorum privilegia Spirensi civitati data confirmantur a Wilhelmo a. 1255. cur non in Henricano diplomate idem observatum? si vero specialis insertio unius requirebatur, cur in aliis ea lex & cautio omissa? nimirum quia hoc astu obtrudere nobis Henricanum diploma voluit autor, quasi in posteriori acquiescere cogeremur.

(*Volumus etiam*) Nova concessio privilegii, quod jam ante non habuerant Bremenses, quod sub protectione Imperii esse debeant. Quid autem id sibi vult? an antea non fuerunt? an fortasse liberam Imperii civitatem esse vult autor: quæ cum hactenus sub jurisdictione episcopi fuerit, nunc sub jure Imperii esse debeat? sic ergo Rulandi statua vel jam ante ab Henrico V. concessa non fuit vel hujus libertatis & immediatæ dependentiæ index non est.

Nova privilegii concessio.

Brema civitas episcopalis.

(*Ut præfatum*) Ubi? an in privilegio Henrici? ast, hoc incongrue ad Wilhelmi personam trahitur; non enim Wilhelmus ita præfatus erat, sed Henricus, cur non potius ut prælectum vel ut scriptum?

(*Datum Antwerpiæ*) Quid? si demonstrari possit, Wilhelmum Imperatorem eo tempore Antwerpiæ non fuisse; procul dubio victas manus porriges, & hoc quoque diploma pro suppositio & adulterino agnosces. Verisimile est enim, Imperatorem Germanicum in Germania quoque frequentissime commoratum, & quamvis in hereditario suo comitatu Hagæ in Hollandia palatium regale exstruxerit, atque hic de causis arduis regni tribunal constituerit, *Magn. chron. Belg. fol. 247.* BERT. *lib. 2. rer. Germ.* tamen id post an. 1252. factum est, & nihilominus eo, & sequentibus annis, crebrius in Germania versatus reperitur Imperator: an. enim 1251. circa festum conversionis Pauli duxit uxorem, filiam Ottonis Ducis Brunswicensis, ubi & in ipsis nuptiis sartorum incuria palatium conflagravit, ABB. STAD. *chron. Slav. ad a. 1251.* CRANZ. *lib. 8. Sax. 17.* quo eod. an. paullo ante eundem Wilhelmum legatus Pontificis Hugo Cardinalis in regem confirmaverat, SIGFRID. PRESB. MISNENS. *chron. August.* Sequenti a. 1252. socerum iterum invisitans, ejusque intercessione coenobiis nonnullis, ut Riddageshusiano 23. Januar. Mariævallensi 26. ejusd. mensis, 10. Martii divæ virginis Parthenoni prope Helmstadium privilegia ac bona sua confirmavit; cumque eod. a. Francofurti curiam indixisset, circa festum Johannis vel Jacobi ABB. STAD. *d. l.* CRANZ. *lib. 8. Sax. 19.* inde reversus, recta Brunswigam contendit, ut socrum & affines impuberes super insperato casu soceri Ottonis Ducis interea IX. die Junii defuncti consolaretur. *annal. Brunswic.* Et quia in comitiis Francofurtensibus Margaretha comitissa Flandriæ ut Imperio rebellis declarata fuerat, contra eam in Hollandiam exercitum misit, atque ipse etiam profectus est, SPANGENB. *in chron. Sax. c. 258.* quod bellum, quia eo anno absolutum non est, ideo ad sequentem quoque referunt SIGFRID. PRESBYT. *Missa.* & ABB. STAD. feliciter tamen gestum, unde de hoc Wilhelmo *Michael Wosmerus*:

Wilhelmi palatium Hagæ in Hollandia.

Wilhelmi nuptiæ.

Wilhelmus a Papa confirmatus.

Comitia Francofurti celebrata.

Wilhelmi victoria.

Margarita tuis animum submiserat armis,
Structa paludatis curia stabat Hagis.

Hæc quia in Saxonia, Hollandia, & Seelandia gesta sunt a. 1252. post comitia Francofurtensia circa autumnum celebrata, quomodo XXVIII. Sept. die Antwerpiæ esse potuit Wilhelmus? quomodo verisimile Imperatorem fervente bello provincia sua exivisse? quomodo eundem per hostilem terram transiisse? quæ causa itineris vel commorationis in Brabantia tam necessaria inter belli tumultus periculoso hoc tempore? quis ex historicis itineris hujus in Brabantiam meminit? manet ergo verum, Wilhelmum in comitatu suo Hollandiæ mansisse, exinde frequenter illo & sequentibus annis in Germaniam recessisse, & more majorum subinde loca mutantem in diversis urbibus celebrasse curias. Ita a. 1253. Brunswigæ fuit atque hic octavo Februarii monachis Mariærodensibus prope Hildesiam privilegia ac bona sua confirmavit: nec minus in eadem urbe 6. Idus vel 8. die Sept. Wedekindum episcopum Mindensem singulari privilegio confirmavit; eidem etiam a. sequenti 1254. in castris West-Frisiæ privilegium dedit, quæ ambo exstant in *chronicis Mindensibus* a. 1255. Spirensi civitati privilegia sua confirmavit, quod diploma exstat apud LEHMANN. *lib. 5. chron. Spir. 91.* Cum vero in duobus hisce posterioribus diplomat. testes, qui præsentes fuerunt adscribantur, cur id in prætenso hoc diplomate Bremensibus dato omissum? nonne sic, id vel falsum, vel saltem minoris autoritatis, nonne privilegia in solemnibus curiis irrogari oportuit, ut supra demonstratum, an extra imperium id fieri potuit? ergo hoc quoque diploma cum superiori

ejusdem generis, id est, spurium & suppositi-tium esse concludimus.

SECTIO LXVI.

Quare prætensum hoc diploma Wilhelmo Cæsari adscriptum?

Quare autem autor hic prædictum diploma Wilhelmo potius, quam alii ex Cæsaribus adscribere voluit? hæc causa & occasio fuisse videtur, quod cum duo essent Impp. in Germania Wilhelmus & Conradus Friderici II. filius, & singuli suos haberent fautores & assecias, ortæ essent variæ deprædationes, latrocinia & rapinæ, dum, ut fieri solet, quælibet pars hostes suos persequeretur: multi etiam hoc prætextu abusi, inimicos haberent illos, qui locupletes essent. Quo in turbulento Imperii statu cum mercatores maxime rebus suis spoliarentur & itinera intuta redderentur, principibus officium suum negligentibus, quia Barones & milites in Alemannia plerumque ipsi erant prædones, si credimus URSPERG. *circa fin. chron. sui.* ideo civitates Rheni cum Wilhelmo rege sentientes, ipso in partibus inferioribus (Frisiæ & Hollandiæ) existente eoque indefensi, consilio apud Moguntiam habito, se mutuo firmissima confoederatione conjungunt, capitaneum eligunt telonia ejusdem fluminis Rheni, quæ a pluribus fuerant aggravata, removent, castra nociva destruunt vicinosque principes & comites suæ societati adhærere compellunt, undique in finibus suis pacem ordinantes optimam & hactenus inauditam. Hæc sunt verba *chronici Hirsaviens.* & *Augustens.* quod institutum commendat PEUCERUS *lib. 6. chron.* Profuit hoc exemplum posteritati, inquit, similibus enim consiliis, deinceps etiam malis publicis obviam itum & multorum audacias & malitias repressas esse constat, *id.* LEHMANN *lib. 5. chron. Spirens. 92.* Contra aliorum, alia hac de re fuit sententia illo tempore; de qua ALBERT. ABB. STAD. *ad a. 1255.* Non placuit res principibus nec militibus, sed neque prædonibus & maxime his, qui habebant manus pendulas ad rapinam, dicentes, esse sordidum, mercatores habere super homines honoratos & nobiles dominium &c. Ecce, ideo hoc institutum civitatum sermones peperit, quia novum & inauditum hactenus fuerat, civitates jurisdictionem & imperium habere ac defensionem sibi arrogare, quam a principibus & comitibus ab antiquo expectabant. Quo ipso funditus destruitur superius Henrici V. diploma, cum eo tempore civitates id jus non habuerint, sed demum post sesquicentenos annos sub Wilhelmo sibi arrogare voluerint. Civitates, quæ in hoc foedere Wilhelmi tempore inito comprehensæ fuerunt, recenset *chronic. August.* & pingvius LEHMANN. *d. c. 92.* ubi iis etiam Bremam annumerat, pro *Bernensi* forte Bremensem accipiens. Ab initio certe Rheni tantum civitates coierunt; quibus cum postea non saltem aliæ civitates, sed etiam principes se conjungerent. Potest esse, quod etiam Brema accesserit: non diu autem duravit hoc foedus, quia defuncto Wilhelmo a. 1256. omnia redierunt in pristinum malum statum, ait *chronic. Augustens.* A quo tempore conspecta utilitate coepit *foederis Anseatici* origo, quam WAREMUND AB ERENBURG *lib. 1. de foeder. 2. n. 44.* ad A. C. 1270. refert, licet centum fere annis posteriorem esse velit *Funccius*, alii etiam antiquiorem. Quo pertinet, quod scribit SPANGENB. quod episcopi, principes ac comites quidam Lubecæ tractaverint de securitate viarum, *wie man hinfort die Straßen im Lande sicher halten mögte*, ubi foederis facti duæ civitates assecias Lubeca & Hamburgum nominantur, non etiam Brema, *in chron. Sax. lib. 1. c. 19. & in chron. Schawenb. lib. 2. c. 31.* his verbis: *Anno 1241. Sollen die Stædte Lübeck und Hamburg das erste Bündniß, davon noch glaubwürdige Uhrkunden vorhanden seyn sollen, gemacht haben, des Innhalts, daß sie die Strassen zwischen der Trave und Hamburg wolten sicher und rein halten.* Quis ergo crederet, civitatem Bremensem hoc jus sesquicentenis annis ante ab Henrico V. acceptum habuisse? nimirum ad hunc Imperii turbulentum statum & civitatum Rheni confoederationem respiciens autor, rem ipsam propter antiquitatem Henrico V. adscribere voluit, confirmationem Wilhelmo. Potest etiam hæc caussa addi, quod Frisii propter occupatam urbem Aquisgranensem renovationem privilegiorum a Carolo M. ipsis indultorum impetrasse a Wilhelmo Cæsare dicuntur anno 1248. UBBO EMM. *lib. 10. rer. Frisic.* quibus plura insunt, quæ sibi quoque Bremenses tribuunt, quasi illo quoque exemplo ad fingendum inductus videatur autor. Neque plura subjungimus, nisi quod autor indictionem undecimam in hac confirmatione omisit, quæ tamen aliis Wilhelmi diplomat. apposita, ut eo quoque nomine charta hæc suspecta sit, quia indictionis omissio vitiat instrumentum, etiamsi annus & dies apposita fuissent, BALD. *in C. cum jure perit. n. 16. X. de offic. deleg.* HONDEDÆUS *Vol. 1. Cons. 66. n. 42.*

Latrocinia crebra per Germaniam.

Prima civitatum confoederatio.

Brema confoederata.

Diploma Henricianum per ligam civitatum destruitur.

Origo foederis Anseatici.

Brema primi foederis expers.

Liga civitatum Hamburg & Lubecæ.

Confirmatio privilegiorum Frisicor.

Indictionis omissio.

SECTIO LXVII.

De Wenceslai confirmatione suspecta & invalida.

Ultima est Wenceslai Cæsaris confirmatio cum prioribus ejusdem argumenti, quam ut singulatim non examinamus, ita tantum hoc repetimus, quod illi testes nulli appositi, cum tamen in aliis Wenceslai diplomat. id observatum; deinde maxime supecta est subscriptio inusitata patriarchæ Antiocheni, qui tanquam Cancellarius ad mandatum Domini Regis id viderit, cum parens ipsius Carolus IV. in hujusmodi negotiis in Bohemia Nicolai præpositi Cameracensis opera aliquamdiu usus sit? Quid enim patriarchæ Antiocheno cum rebus Imperii in Germania? quis illum Cancellarium constituit, quas partes archiepiscopum Moguntinum & illo & superiori tempore per Germaniam usurpasse novimus, quem id jus alteri extraneo concessurum fuisse quis credere ausit? cur nomen ejus proprium non exprimitur? cur vidit tantum, non etiam recognovit? ut hoc satis causæ esse videatur, hoc quoque diploma ut falsum rejiciendi, æque ut priora duo. Quodsi tamen inordinato illo & corrupto Imperii statu sub Wenceslao patriarcha aliquis ex Antiochia profugus vel expulsus in aula Wenceslai contra professionem suam Can-

Wenceslai confirmatio suspecta.

Patriarcha Antiochenus Cancellarius fingitur.

Sub Wenceslao status Imperii corruptus.

Cancellarium egit, &, quod poeta ait, fixit leges pretio atque refixit, vendidit sigilla & diplomata, & sic etiam hanc confirmationem Bremensibus, quanti illa facienda erit? Constat enim, ob hanc ipsam causam Wenceslaum Cæsarem Electorum sententia imperio privatum ac depositum, ABB. TRITHEIM. *in chron. Hirsav.* PAUL. LANG. *in chron. Citicens.* MAGN. *chron. Belg. & al.* pronunciata est sententia publice e solio in usum tribunalis erecto XX. die mensis Augusti an. 1400. sub *castro Lohnstein*, ubi adhuc sedes dicta *König-Stubl* sub densis arborum comis visitur test. MARQU. FREHER. *in not. ad lib. 2.* PETR. *de* ANDLO *c. 2.* Diploma ipsum exstat Tom. 2. *Urstisii* in fine, in quo dicitur, quod Wenceslaus plures membranas nudas, rasasque, suæ tamen Majestatis sigillo munitas, amicis pecunia vendiderit; in quibus cum illis, tum aliis, in quorum manus istiusmodi membranæ venirent sub regio sigillo, quæ vellent, scribere licuerit, imo, utrumque tam Carolum IV. patrem, quam Wenceslaum filium totum Imperium libentissime vendituros fuisse, si modo emtorem reperire potuissent, diximus ex THEODOR. A NIEM *Sect. 32. add.* KIRIANDR. *in annal. Trevir. part. 14.* ut non mirum sit, si ab eo Bremenses confirmationem aliquam impetraverint, quæ tamen eo quoque nomine nullius momenti censenda, quod omnia Wenceslai acta, rescripta & privilegia, rescissa & annullata sint, sicuti hoc argumento civitas *Ratisbonensis* contra civitatem *Passaviensem* ex privilegio Wenceslai de a. 1390. in flumine Danubio jus emporii sic exonerandi merces *die Niederlage* sibi asserentem nititur apud MYNSING. *decis. 2. respons. 19. n. 6.* etiamsi, inquit, hoc privilegium a Wenceslao concessum fuisset, tanquam a Rege Romanorum, (non tanquam a Rege Bohemiæ, quæ eo casu vires non extenderet extra Bohemiam nec alios subditos Imperii ligaret) tamen nullius fuisset roboris, propter revocationem generalem omnium rescriptorum, concessionum, privilegiorum a prædicto Wenceslao emissorum, factam ab Electoribus & statibus Imperii, communi voto & sententia post ipsius legitimam ab Imperio depositionem; est enim Wenceslaus propter suam ignaviam per Electores & status legitime depositus ab Imperio, & omnia rescripta & privilegia ab ipso emissa cassata, assentiente & hoc confirmante postea Rudolpho comite Palatino Rheni in depositi Wenceslai locum pro Rege Romanorum suffecto. Idque advocatus civitatis Ratisbonensis satis deduxit, idemque ex chronicis atque historiis ac annalibus etiam Imperii est notatum. Ex quo etiam consequitur, confirmationem ejusdem Wenceslai regis de anno 1391. & reliquas aliorum Impp. subsecutas generales confirmationes fuisse & esse nullas, nec quicquam præjudicare actoribus, quia confirmatio ejus, quod nullum est, nihil operatur, etiamsi fiat ab eo, qui dare potest, qui quamvis in sequentibus pro civitate Passaviensi concludat, & ad actorum fundamenta respondeat, sub num. 33. hoc tamen argumentum de Wenceslai actorum rescissione, utpote fortissimum intactum dimittit, idem etiam in hoc nostro casu obtineat, ut etiamsi ex certa scientia præcessisset confirmatio, superiora tamen Bremensium privilegia non magis confirmare potuerit, quam ex falso verum, ex nigro album facere potuit.

Castrum Lohnstein.

Wenceslai prodigalitas.

Acta Wenceslai scissa.

Actio civitatis Ratisbonensis & Passaviensis.

Rudolphus Wenceslai successor.

SECTIO LXVIII.

De confirmatione a Carolo V. sub- & obreptitie obtenta.

Sub finem ne hoc quidem omittere volumus, cives Bremenses, anno 1541. Carolo V. Cæsari falsa hæc privilegia confirmanda obtulisse. vid. *assert. libert. reipubl. Brem. p. 325. 393. 964. 975. Acta Schweden contra Bremen p. 160.* KNIPSCHILD. *de civitatib. Imperial. fol. 1061. n. 48. 742. n. 28. 746.* A quo cum voti compotes facti, confirmationem aliquam *sub- & obreptitie* quod fieri facile potest, obtinuissent, *Christophorus archiepiscopus* Bremensis Cæsareæ Majestati supplicatione submissa intimavit, narrata Bremensium falsa esse, fluviumque Visurgin a parte Orientali ad archiepiscopatum a tempore, cujus initii non exstet memoria, semper pertinuisse; itaque revocationem confirmationis non difficulter obtinuit, eo magis quod Bremenses privilegia anteriorum Impp., ad quæ provocabant ipsi, coram Cæsare in originali non produxissent. Exstant non solum supplicatio archiepiscopi, in qua jus sibi in medietatem Visurgis competens nervose demonstrat, sed etiam Imperator. diploma de dato X. Martii an. 1544., in quo Bremensibus sub poena quadraginta marcarum auri puri puti interdicitur, ne priori concessione utantur, cum annexa citatione, ut prætensionem suam, si quam eo nomine haberent, intra certum terminum in Camera Imperiali deducerent. Quod cum hactenus factum non sit, neque fieri usque ad Calendas græcas possit, confirmatio illa a Carolo V. Cæsare sub- & obreptitie obtenta perinde habenda est, ac si nunquam emissa fuisset.

Bremenses a Carolo V. confirmationem petunt,

quam Christophorus Archiepiscopus impugnat.

Hoc satis est, ne me verbosi scrinia lippi
Compilasse putes, verbum non amplius addam.

Quia in hac dissertatione provocatur ad privilegium Henrici V. datum Spirensi civitati hoc eodem an. IIII., visum est, utriusque copiam ex LEHMANNO *lib. 4. chron. Spir. 22.* huc apponere, ut lector id in promtu habere possit, si forte eo recurrere velit.

Primum est tale:

Omnibus CHRISTI Nostrisque fidelibus tam præsentibus quam futuris notum fieri volumus, qualiter nos pro remedio animæ chari patris nostri felicis memoriæ Henrici Imp., consilio ac petitione principum nostrorum, Friderici Coloniensis Archiepiscopi, Brunonis Spirensis episcopi, Cononis Strasburgensis episcopi, Udalrici Constantiensis episcopi, Ottonis Eabenburgensis Episcopi, Burchardi Monasteriensis Episcopi, Hermanni Augustensis episcopi, Friderici Ducis, Comitum quoque Gothfridi de Calwe, Friderici de Zolra, Hartmanni de Dilinga, Berengarii de Sultzbach, Gerhardi de Gellra, Henrici, Dudonis, Stephani, Gerungi, Walteri, in ipsa die sepulturæ ejus, omnes, qui in civitate Spi-

rensi modo habitant, vel deinceps habitare voluerint, undecunque venerint vel cujuscunque conditionis fuerint, a lege nequissima & nefanda videlicet, a parte illa, quæ vulgo *Guttheil* vocabatur, per quam tota civitas ob nimiam paupertatem annihilabatur, ipsos suosque heredes excussimus; ne vero aliqua persona vel major vel minor, non advocatus, non eorum naturalis dominus illis morientibus de illorum suppellectili quicquam auferre præsumat, interdiximus; & ut omnes liberam potestatem habeant suis heredibus relinquendi vel pro anima sua dandi vel cuicunque personæ dare voluerint, ipso Spirensi Episcopo Brunone in pulpito adstante & concedente concessimus & confirmavimus; ea tamen interposita conditione, ut in anniversario Patris nostri solemniter ad vigilias & missam omnes conveniant, candelas in manibus teneant & de singulis domibus panem unum pro eleemosyna dare & pauperibus erogare studeant. Ut autem hæc nostra concessio & confirmatio rata & inconvulsa omni ævo permaneat, & ne aliquis Imperator aut Rex vel episcopus aut comes vel aliqua potestas vel major vel minor infringere audeat, in perpetuam specialis privilegii memoriam hoc insigne stabili ex materia, ut maneat, compositum, aureis litteris, ut decet, expositum, nostræ imaginis interpositione, ut vigeat, corroboratum in ipsius templi fronte, ut pateat, annitente nostrorum opera civium constat expositum singularem erga ipsos continens nostræ dilectionis affectum. Data XIX. Calend Septembr. Indictione quarta anno Dominicæ incarnationis MCXI. regnante Henrico Quinto Rege Romanorum anno sexto, Imperii primo. Actum est Spiræ in Christo feliciter sub Brunone venerabili Præsule Spirensi ecclesiæ præsidente.

Alterum in eodem ære insculptum & quasi appendix prioris sic habet:

Quoniam supernæ pietatis adminiculante gratia locum istum ob insignem Patrum nostrorum memoriam & fidem civium ipsius erga Nos semper constantissimam præ cæteris sublimare proponimus, jura ipsius Imperiali autoritate pro nostrorum principum consilio corroborare decrevimus, liberos ab omni telonio, quod in civitate hactenus dari solebat, cives nostros statuimus; nummos quos vulgo *Bampfenning*, cum illis, quos appellarunt *Schatz-Pfenning*, piper quoque, quod de navibus exactum est, eis remittimus. Volumus etiam, ut nullus civium nostrorum extra urbis ambitum advocati sui placitum cogatur requirere, nullus præfectus aut alicujus domini nuncius suo serviturus domino a pannificis vel macellariis vel aliquo genere hominum in civitate suppellectilem aliquam præsumat illis invitis accipere, nullus præfectus vinum, quod appellatur *Bau-Wein*, præsumat vendere, aut alicujus civis navim ad opus sui Domini invito illo accipere. Volumus etiam, ut nihil exigatur ab his, qui res proprias propriis seu conductis navibus transvehunt: monetam quoque nulla potestas in levius aut deterius imminuat aliqua ratione, nisi commmuni civium consilio permutet, nullus ab eis telonium in toto episcopatu aut in locis fiscalibus id est ad utilitatem Imperatoris singulariter pertinentibus extorqueat. Si quis curtem aut domum per annum & diem sine contradictione possideat, nulli hoc interim scienti ultra inde respondeat. Causam in civitate incoeptam non episcopus aut alia potestas extra civitatem determinare compellat.

Tantum est.

INDICULUS PRÆCIPUORUM ARGUMENTORUM.

Advocatus, judex, *Vogt* Sect. 29.
Advocatia Bremensis, Sect. 27. 30. 31. 35.
Aldiones qui? Sect. 13.
Altenburgensis episcopatus Sect. 11.
Alveus fluminis sequitur jura extrema. Sect. 37.
Bandum, *Fahnen*, Sect. 23.
Bannus Regius, Sect. 16. 23.
Barones, Sect. 13.
Baumeister Sect. 51.
Binnen vier Bæncken Sect. 23.
Bürger - Weyde Sect. 36.
Burgum Sect. 51.
Butjadia Sect. 37.
Butteil Sect. 14.
Bidel, Sect. 14.
Brema unde dicta? Sect. 10. an sit Phabiramen? Sect. 11. parvula Brema Sect 12. vicus ignobilis Sect. 10. 12. tempore Caroli M. nondum fuit Sect. 9. 10. 12. 14. ab episcopatu habet incrementa Sect. 11. 12. Jus fori accipit, Sect. 12. 16. muris includitur Sect. 12. pertinet ad comitatum Lesmonæ, Sect. 36. an extra urbem jurisdictionem habeat Sect. 38. Bremensium privilegia quando concessa, Sect. 1. Bremensis mercatus privilegium Sect. 26. Bremensium statuta Sect. 27. 46. Bremensis Rulandi descriptio Sect. 54. Bremensium insignia claves Sect. 58. Bremensis archiepiscopatus divisio in tres partes Sect. 35. Bremenses mortuum non possunt e flumine extrahere, Sect. 52. *Bremer Herren-Thor*. Sect. 36. *Bremer Werder* Sect. 36.
Carolus M. an Saxonibus leges dederit? Sect. 3. ejus privilegia suspecta Sect. 6.
Carels Sand in Hadeleria Sect. 10.
Cingulum militare Sect 16.
Chirothecæ Sect. 26.
Cives Sect. 13.
Clipeus, insignia, bannus Sect. 24.
Coloni quinam? Sect. 13.
Comites, *Grafen*, Judices, Sect. 23. & 29. comitum & Scabinor. potestas Sect. 51.
Consulum dignitas. Sect. 51. eorum origo ibid.
Crux lignea in loco judicii Sect. 22.
Curtis, *ein Hof*, quid? Sect. 9.
Ding, *Dingstett* Sect 23.
Ecclesia Bremens. fundatur a Carolo M. Sect. 1.
Electorum institutio. Sect. 3.
Episcopatus Bremensis urbe antiquior. Sect. 1.
Fahn Lehen, Sect. 25.
Falsitas veritatis imitatio. Sect. 2.
Falsitas quomodo probetur? Sect. 4.
Fama vulgi incerta. Sect. 17.
Fori jus, Brem. pertinet ad Archiepisc. Sect. 12. 26.
Frey Graffen Sect. 25.
Frey Stühle, *Freyding*, *Frey-Gericht*, Sect. 25.

Frisiorum

Frisiorum privilegia sunt falsa. Sect. 3.
Falsitas privileg. Bremens. Sect. 39. 40. 41. sqq.
Gladius in judicio suspensus, Sect. 24.
Gravio, *Graf*, i. e. *Richter*, Sect. 23.
Hadeleria, *Carelsand*. Sect. 10.
Hanseatici foederis origo, Sect. 66. finis, Sect. 15.
Hamelwerder, Sect. 37.
Handthierung, Sect. 15.
Haupt-Recht, Sect. 14.
Heer-Schild, Sect. 16.
Henrici Leonis fabulæ, Sect. 21.
Judicium sub dio, Sect. 23. ad judicia pertinent statuæ Rulandinæ Sect. 19. cur in loco judicii statuæ erectæ Sect. 23. judiciaria potestas, Sect. 31.
Jus fori denotatur per statuam Rulandin. Sect. 26.
Immunitas ad prædia ecclesiastica pertinet, Sect. 19.
Jurisdictio alta & bassa, Sect. 29.
Lassi, Sect. 13.
Lechter insula, Sect. 36.
Lesinonæ & Stadens. comitatuum termini, Sect. 35. archiep. conceditur, Sect. 36.
Liberi in Saxonia, Sect. 13.
Libertas Saxonum. Sect. 14.
Liberti, Sect. 13.
Licentiator. privileg. Sect. 16.
Liti, Sect. 13.
Mallum, Sect. 23.
Manniæ quid? Sect. 51.
Mancipia, Sect. 14.
Mansus quid? Sect. 7.
Manumissio, Sect. 13.
Marcklo ad Wiseram, Sect. 23.
Marck-Recht zu Bremen, Sect. 11. 15.
Mars adoratur a Saxonibus, Sect. 18.
Meyer quinam? Sect. 13.
Mercatus designatur per statuam Rulandi. S. 26.
Mercaturæ privilegia, Sect. 15.
Nobiles in Saxonia, Sect. 13.
Nundinarum jus, Sect. 15.
Oldelandia, Sect. 35.
Palæstinæ expeditiones, Sect. 39.
Parlamentor. institutio, Sect. 3.
Pagus quid? Sect. 7.
Phabiranum ubi? Sect. 11.
Piratarum prosecutio, Sect. 52.
Pleccaze Sect. 37.
Privileg. Bremens. sunt falsa, Sect. 1.
Privilegia vetera pertinent ad libertatem & immunitatem S. 14. ad mercaturam Sect. 15.
Privilegior. alior. falsitas Sect. 2. & 3.
Privilegia Brem. a Carolo M. Henr. V. Sect. 4. Origo Sect. 32. 39. 51. eorum falsitas, Sect. 39. 40. 41. seqq.
Privilegia Frisior. Sect. 3.
Saxon. Sect. 3. 15.
Otton. M. ibid. & Sect. 16.
Otton. II. Magdeb. Sect. 20.
Regalia fluminis ad Imperatorem & principes pertinent, Sect. 33.
Rulandi statuæ quando erectæ & quo fine? Sect 17. 18. 20.
Rulandus & Weichbildus sunt Synonyma, Sect. 20.
Rulandus privilegior. Bremensium index, Sect. 2. 53.
Rulandus dejicitur, Sect 28.
Rustringiæ pagus, Sect. 39.
Rustringiæ & Ambriæ comites, Sect. 37.
Santbülpe, capella S. Opis, Sect. 21.
Saxonum IV. ordines, Sect. 13.
- - libertas, Sect. 10.
Saxonici speculi autor. Sect. 22.
Scabini *Schöffen-Stuhl* Sect. 23. eorum potestas Sect. 51.
Scutum militare, Sect. 24.
Scultetus, Sect. 29.
Servi, Sect. 13.
Spatha, Sect. 24.
Stadensibus conceditur mercatus Sect. 26.
Stadensis & Lesinonæ comitatus termini, Sect. 35.
Stedingi Old. Sect. 37.
Stadlandia, Sect. 37.
Ubstalbom apud Auricam, Sect. 23.
Unmundlingi, Sect. 13.
Urbes Saxonicæ quando conditæ? Sect. 7.
Urbes ab Henrico I. in Saxonia condi coeperunt, Sect. 8.
Urbes episcopales ab episcopis conditæ, Sect. 1.
Vehmen-Recht, Sect. 25.
Verdæ judicium criminale Caroli M. Sect. 10.
Vexilla, Sect. 25.
Villa quid? Sect. 7.
Villici quinam? Sect. 13.
Visurgis jurisdictio pertinet ad Imperat. & archiep. Brem. ab una parte, Sect. 33. 34. 37.
Vogt zu Bremen, Sect. 27.
Wangeroa, Sect. 37.
Weichbild quid sit? Sect. 20. 21. 22. 26. 27. ejus origo Sect. 51.
Werderland. Sect. 36.
Westphalici judicii finis, Sect. 21.
Wigmodia pagus, Sect. 9.
Willehadi fortuna, Sect. 11. 46. 50. mors, Sect. 27.
Wursatia, Sect. 35.
Zedutta statua unde? Sect. 21.

XLI.

JOACHIMI BLÜTINGI, JCTI CIMBRICI COMMENTARIOLVS JVRIS JVTICI DE EMTIONE RERVM IMMOBILIVM, *VON DEM LANDKAVFF, NACH JÜTISCHEM LOW-BVCHE.*

EX AVTOGRAPHO AVTORIS.

CAPUT I.

De mercatura, ut & emtione venditione fundorum.

Anfænglich und tom erſten werd van dem Landkope gemeldet in Conſtitut. Regis Chriſtiani III. Cap. 33. dat Receſs *gebeten, dieſergeſtalt Prælaten, Praveſte, Preſtere, Amtslüde, Lehnslüde, Hus-Vægede, Ride-Vægede, Schrievere edder Bonden up dem Lande, Peper-Knechr, umlopende Kramers ſcholen nene Kopenſchop driven up deme Lande tom Vorprange, das iſt, den Verkop driven: diſe Landkop is obbeſchreven Perſonen*